CHRIST


de

Murrinis

VET:

Rosenkilde & Bagger
Copenhagen Sept 1968
Cat #5.00

SAXIUS



Rrbo 248

Q. B. V

DE MVRRINIS VETERVM

DISQVISITIONEM
AMPLISS. PHILOS. ORDINIS
CONSENSV
SVB PRAESIDIO
IOH. FRIDER. CHRISTII
POES. PROF. PVBL. ORDINARII HISTOR
EXTRAORD. ET MIN. PRINCIPVM COLLEGIO
COLLEGIATI
IN ACADEMIA LIPSIENSI
PVBLICO CVM ERVDITIS COLLOQVIO
DEFENDET
FRIDER. EHREGOT SAXIVS
EPPENDORPIO MISNICVS

D. IIII MAII A. C. N. CIↃ IↃCC XXXXIII

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIA



D E
MVRRINIS VETERVM
DISQVISITIO



Vaſa murrina, quae eadem fortaſſis murrea interdum dicta, celebrata ſatis veterum ſcriptorum monumentis leguntur. Sed qualia fuerint, e qua materia, quibus artibus facta, cum non appareat, aut ſaltem cum non agnoſcatur inter reliquias antiquae ſuppellectilis eorum exemplum, adhuc inter eruditos in incerto eſt. Acuebat eorum diligentiam rei obſcuritas, quae veteris aeui veſtigiis plerisque circumfuſa, dum expugnatur, coniunctam ſaepe cum vtilitate non ſpernenda habet delectationem. Sed turbabat contra grauiſſimorum interpretum, qui noſtris et ſuperioribus auorum proauorum que noſtrorum temporibus lectionis antiquae argumenta tractauerunt, ingens ſuper murrinis diſſenſio. Turbabat item quaedam inter ipſa veterum de ea re teſtimonia per ſpeciem emergens pugna. Quaerebatur, gemmea ne, aut alio gemmis adfini e lapide, terra nata, dehinc celte ac caelo excauata, an vero manibus hominum et arte coctura que durata, et, vt verbo abſoluamus, fictilia fuerint murrina. Fuerunt etiam, qui neutrum eorum admittentes, quo remotiora, eo minus audienda de his vaſis prodiderunt. Illius quaeſtionis ex vtraque parte et olim ſteterunt, et adhuc ſtant ſingulari eruditionis et ingenii laude florentes viri, quorum proinde auctoritas permouere multos poteſt, vt aut haereant dubii in re certa, aut falſum vt defendant. Faciemus igitur operae pretium, ſi denuo euolutam tractatam que rem obſcuram ita dederimus, vt neque inui-

Murrea, et *Murrina* celebrata ap. veteres. Quae ſint, adhuc ignorabatur.

II
Difficultas quaeſtionis controuerſae.

III
Ea ſuis poſitionibus expeditur.

IIII
Inſtituti ratio

inui-

inuidiam errori multorum conciliemus, neque ideo quod veriſſimum eſt, conſentiente et in rem velut praeſentem deducta veterum fide, non defendamus. Quo facto ſic explicata, ſic ad liquidum perducta haec quaeſtio, niſi me omnia fallunt, patebit, vt poſt illa quicunque alia omnia, ac diuerſa ab his noſtris, videre ſuper murrinis voluerit, non magnam is rem egiſſe exiſtimari poſſit. Tamen breuitati, quantam admittit argumenti nobilitas, ſtudebo, et in ſententias veterum ſcriptorum primo, deinde recentiorum in tradita ordine inquirendo, et velut hiſtoriam diſſenſionis eius contexendo, facile conſequar, vt quae fuerint murrina, quae non fuerint, hac ſimpliciſſima explicatione demonſtratum probe perſpicue que intellegatur.

V Cautio adhibenda hac ſuper re: Teſtis non quo antiquior, eo melior.

In principio diſquiſitionis aimus, quando ſcriptorum antiquiſſimus fere quiſque doctrina, fide, ſcribendi cura antiſtat, veterum auctoritates rebus in aliis multis quo antiquiores, eo potiores videri: contra in hoc argumento, quo antiquiores ſunt et aetate priores, eo leuiores exiſtimari debere.

VI Cauſſa et velvt hiſtoria eius rei.

Romae enim primo nulla, mox rara, et deinde frequens et cotidiana murrinorum notitia effecit, vt ante Caeſarem et triumuiratum fere qui ſcripſerunt, ne vocabula quidem murrae et murrinorum litteris conſignarent: qui deinde vixerunt, Auguſti ac Tiberii temporibus, perfunctorie ac paucis murrea, mox murrina, timidius vtraque, vt rem raram, neque adhuc ſatis vſu cognitam, tangerent: qui Nerone imperante et poſtea fuerunt, copioſius de eis et expreſſius, tanquam de re nota, ſtatuerent.

VII Teſtimonii dicundi ex his ordo.

Teſtes proinde hi potiſſimum audiendi erunt, qui rem, de qua teſtantur, oculis vſurpaſſe, et cotidie in manibus habuiſſe, creduntur: prae illis, quos ſat conſtat vix vidiſſe murrina, ſepoſitum et rarum tunc in aliquo ſpectaculum templo: cum vno murrino Auguſtus contentus eſſet: cum nondum a mercatoribus vulgo aduecta, et in ſeptis expoſita, cernerentur. Quam ob cauſſam non licuit cuiquam vel indocto ignorare Domitiano imperante murrina: Auguſto principe licuit etiam doctiſſimis viris.

VIII Rurſus cautionis ratio exemplis declarata.

Solet fieri, vt rararum mercium incognita facile multis et in obſcuro ſit natura: cotidianas ignorari multorum hominum conſcientia non patitur. Id non alio magis exemplo illuſtrari poteſt, quam eorum, qui de murrinis parum vera primi ſcripſerunt, Cardani videlicet et Scaligeri. Illi enim, quanquam eſſent doctiſſimi, adeo abhorrentia et fabulis nugis que referta

ferta tradiderunt de porcelanis, quae eo tempore minus, quam nunc sunt, cognita erant, vt hodie quilibet facile terrae filius rectiora de illis memoret. Talia si veteribus accidissent, condonanda fuerant, vt nostrorum hominum in re noua error veniam habet. Quam ob caussam nulla est eius aduersus Plinium auctoritas, qui primus murreorum vocabulum in scriptis posuit suis. Propertium nos designare non est ambiguum, cuius in hac re fidem eleuat non poetae professio, quae talia non praestat; non neglegentia eius tanto alias conspectior, quanto erat ipse poeta melior, doctior atque elegantior: sed tempus, quo vixit, et res, de qua, vt parum cognita, rumorem tradidit. Si quid minus congruens cum aliorum testimoniis scripsit, meliora perhibere non potuit. Sed tamen videbimus, si quid sit in versibus poetae absonum reliquorum scriptorum sententiae. Dixit autem *murreum onycha*, quibus verbis sine vllo dubio aut vas onychinum, id est alabastrum ex onychitide, a murrae lapidis quodammodo similitudine laudat, aut murreum vas, non murrinum, vocat onychem a quadam adfinitate, quae murrae erat cum onyche. Et hoc verum est, siue marmor hoc nomine intellegas, vel alabastritem; (propria autem vnguentis seruandis alabastra sunt,) siue gemmam onycha. Atqui ob hanc eamdem caussam, prior de alabastro sententia, cum de vnguento poeta loquatur, verior est. Non enim hic duritia confertur, quae gemmae est propria, sed color, et reliqua talium lapidum natura. Quod autem myrrhae lacrymae colorem his verbis in alabastrite laudari Brocusius putauit, admitti non potest. Nemo myrrheum latine a myrrha dixit, neque est temere in talibus fides habenda vulgaribus sermonis Latini commentariis, qui *myrrheum* edunt, vbi *myrteum* debebant: et myrrha laudatissima mellis non habet colorem. Qui fuluam eam dixit Ouidius, licenter dixit, vt poeta, et flauam tamen non dixit. Dioscorides aliam tradit subuiridem, nigram aliam, concolorem vndique, quae sit optima: flauam non tradit. Sed si alabastrites plane flauus dici debeat, de ea re infra videbimus, vbi de murrae lapidis colore disputabimus. Praeter hoc dictum alio loco alium Propertius in rem nostram elegum edidit, quo scripsit, *Murrea pocula in Parthicis focis cocta* Romam deferri cum aliis, *quae venalia mitterent Thebae palmiferae*. Ibi iam putant viri docti multi se reperisse, quod nos doceat, veterum murrina ficti-

VIIII Propertius testis productus et excussus.

Li. III. Eleg. 8. v. 22.

in Comm. ad Prop. h. l. pag. 265, 266.

X Brocusii (*Broekhuysen*) ad hunc versiculum interpretatio eleuata. De myrrhae colore obiter.

Metam. Li. XV, v. 399. Libro I, cap. 67. (77.)

L. IIII. Eleg. 5, v. 26.

XI Alterum Propertii testimonium.

 lia

lia fuiſſe, atque ea in caminis Parthorum certe cocta; praeſertim, quando Plinius quoque teſtetur, *inueniri ea in pluribus locis, maxime Parthici regni.* Eum propterea vnum elegum vniuerſae antiquorum turbae audent nonnulli opponere: Propertium vnum vidiſſe, quid verum eſſet; reliquos omnes largiter erraſſe: alii modeſtius, diſſentire eum a ceteris, aiunt. Equidem cenſeo, videndum eſſe ante omnia, ſi verſus in mendo non cubet. Eſt enim in hoc poeta fere anceps lectionis fides. Meminiſſe debemus, quemadmodum ſit inuentus, quemadmodum editus, teſte Iouiano Pontano. Nam quos nonnulli libros Propertii calamo exaratos veteres laudant, metuo, ne non ſint ex illo male habito exemplo omnes deſcripti. Peruulgatum eſt, vetuſtiores oculorum iudicio facile haberi membranas, quam erant habendae. Quod ſi lacerum adeo exemplar fuerat, ex quo neceſſe erat Propertium reſtitui, plurima ſibi in eo permiſiſſe Italorum ingenia credibile eſt. Haec ſpeciatim elegia, ex qua depromitur de murreis verſus notiſſimus, aliis quoque partibus laborat. Turnebus certe edidit,

XII Super eo cautiones primum adhibendae.

apud Alex. ab Alexandro Genial. dier. Li. II. cap. I.

in Aduerſ. VIII, I.

Murrheaque in Parthis pocula cocta ſuis,

expuncto τῷ *focis.* Quae ſi vera eſt lectio, iam conſpirat cum Plinio poeta. Poterat enim coqui dicere in Parthis ſuis, quae Plinius dixit in locis maxime Parthici regni naturali calore ſub terra denſari. Licet Latine vocare *coctum,* quodcunque natura ad maturitatem calore ſuo fouit. Verum etiamſi omnia ſint in eo verſu liquida et explorata, ſi ſatis habemus acceptum, ingenioſiſſimum ibi Prothea non poetice, ſecundum ſuam ſibi licentiam, ſed humane locutum eſſe: ſi opinione ille ſua in re Romae tum rariſſima falſus non fuit: ſi conſtitutum apud animum habuit, in murreis deſcribendis verum potius, quam vulgi fortaſſis errorem, ſequendum eſſe: tamen non vincitur, aduerſari ea dictis Plinii. Potuit Propertius intellegere murrea factitia, quae igne, quemadmodum reliqua vitra gemmas aemulantia, ad imitationem vere murrae coquebantur, de quibus infra dicemus. Et ſane videtur haec obſeruatio apud veteres locum habuiſſe, vt *murrea* ferme Latine dicerent, quae ad imitationem murrinorum vitra fiebant: *murrina* autem, quae naſcerentur, murrae e lapide excauata. Adiuuat hanc noſtarm ſuſpicionem, quod coniungit cum merci-

XIII Pugna inter ipſum et Plinium compoſita.

XIIII Diuerſa fere *murrea* et *murrina.*

bus

conf. infra p. 39. bus Thebanis, quas fere constitisse ex arte factis Arriani locus quodammodo arguit, adiuuat item, quod τὸ *pocula* addit. Istud autem, quemadmodum et calicis vocabulum, non saepe coniungi cum murrinis solebat, sed cum *murreis*. Nam murrina frequentius simpliciter, non addito vasis potorii nomine, dicebantur.

XV Doroxanio non conueniebat murrinum verum, sed murreus calix.

Adiuuat hanc sententiam alia quoque verisimilitudo, quae vera murrina, quorum vnum vix Augustus haberet, aliis plerisque eorum temporum Romanis sine dubio negat. Tantum abest, vt Doroxanio conueniret murrinum verum, cui rarae munditiae calices quoque murrei essent.

XVI Gemmae quoque excoquuntur.

Quodsi hanc differentiam statuendam esse nobis non concedas, potuit vera gemma effossa, antequam perpoliretur, in focis arte excoqui, vt clarior colos appareret, nubeculae euanescerent: quod artificium gemmarii tractare norunt. Vt adeo nulla sit caussa, cur neges, eamdem murram, vt lapidem pretiosum, effossam primo in locis Parthici regni, deinde coctam in caminis Parthorum: si tamen tanti est huius vnius elegi fides atque auctoritas. Namque ego aliis rationibus adducor vt credam, istud neque factum esse, neque fieri facile potuisse.

XVII L. Senecae testimonium primum.

Secundum Propertii versus de Benef. Li. VII. cap. 9. dicta L. Senecae omnino duo eminent, quibus murrina pocula edit, et cum crystallinis coniungit, deinde vtraque capaces gemmas interpretatur. Non dissimulo viros doctos secundum membranas veteres malle, *murrea pocula*, ea plane forma, qua poeta scripserat. Sed sequimur vulgatam inde ab Erasmo lectionem, quae placere atque adprobari hoc priori loco potest. Iungit crystallinis, quemadmodum paene omnes. Appellat gemmas, non sunt igitur fictilia, quae nemo veterum gemmas dixit.

XVIII Murra si sit gemma, praeiudicatum.

Poterat autem iure suo murrina gemmas vocare, vt alii veteres, quanquam negent Iureconsulti in gemmis esse, et abiudicet illis perfectissimam gemmarum naturam Plinii descriptio, simul nostra, si tamen tanti est, inquisitio. Scilicet qui negant, ad duritiem, ad splendorem absolutum, ad vsum gestandi in capillis, in collo, in digitis, respiciunt: qui aiunt, ad colorem, ad pretium, ad auctoritatem, ad affinem denique gemmis naturam. De re vtraque infra copiosius disputabimus.

XVIIII L. Senecae testimonium alterum.

Epist. 119. In altero loco Seneca rursus cum crystallo coniungit murram, et poculum murreum a Tiburtino calice, vt fictili, et genere disparat, et specie: id quod valde repugnat illis, qui fictilia dixerunt murrina. Si tamen quis alia omnia mauelit,

facile dederim, eam quoque ſententiam admitti poſſe, qua Seneca pu-
tetur gradatione quadam, aureis et cryſtallinis murreum, vitri ge-
nus, ſed laudatiſſimi, poſtpoſuiſſe eo loco: murrinum non item; quod
aureis ſine dubio fuiſſet anteponendum. In tranſitu obſeruamus,
Turnebi, Gruteri, Gronouii que maioris fide, optimas Senecae
operum membranas veteres, vt Propertii quoque exempla melio-
ra, exhibere, *murrea*, nullo adſpirante elemento inſerto. Luca- Li. IIII. v.
XX Lucani teſtimonium. nus, vbi canit confectis multa ſiti Pompeianis reddito flumine dul- 380.
cem aquam fuiſſe, etſi *non auro murra que biberent*, veteres mu-
ſei Paulini noſtri membranae gloſſam ſubſtituunt, *gemma que*, ad
explicandum videlicet murrae vocabulum. Quod ſaltem probat
proximis etiam ante litteras inſtauratas temporibus gemmam habi-
XXI tam murram fuiſſe. Sequuntur Plinii loca, quae iam omnem du-
De Plinio qua praeſcriptione ſit iudicandum. bitationem eximunt. Neque enim potuit peritiſſimus rerum ea-
rum, egregia que vir doctrina ac fide, falli vllo pacto in vaſis de-
ſcribendis, quae ſine dubio ſub oculis verſantia probe cognita et
perſpecta, cotidiani ferme victus inſtrumenta, habuit. Qua igi-
tur fronte erraſſe Plinium diceremus, tam multa, tam expreſſa,
XXII tam certa de murrinis teſtimonia ferentem? Primo inter alia me- Hiſt. Nat
Eius teſtimonium primum. talla, de cryſtallis et de murrinis memorans, dum ponit, ex eadem Li. XXXIII.
terra effodi vtraque addit. *Murrina*, inquit, *effodimus*; tanquam per- c. 1.
fecta deſignat materia, non murram, ex qua murrina dein coque-
rentur, quod erat dicturus, ſi vllum in eo Scaligerorum et Sal-
De gemmatis obiter. maſii ſententiae praeſidium foret. Addit poſtea, *turba gemmarum
potamus*, quod in gemmata vaſa dictum, quae velut turba gem-
marum inſtructa eſſent, cum cryſtallina et murrina vna conſtarent
gemma, ſatis arguit, in gemmeis vaſis illa Plinium habuiſſe. In Li. XXXV,
XXIII ſecundo et tertio loco diligenter fictilibus opponit murrina: ſemel, cap. 12. Li.
Item alterum ac tertium. vbi ait, *non murrinis inter ſacra, ſed fictilibus prolibari ſimpu-* XXXVI.
viis: iterum, cum dolet, *eo perueniſſe luxuriam, vt etiam fictilia* cap. 26.
XXIIII *quaedam pluris conſtarent, quam murrina.* Audebimus autem poſt
Ex eis iudicium conſtitutum. haec ea vaſa dicere fictilia, quae Plinius eſſe diſertis verbis negat?
Nos imperiti talium ſuper re obſcura, antiqua, inuiſa, ſententiam
expromemus aduerſariam illi, qui experiens et doctus, ſi quis
alius, vir, de perſpectis ſibi et cotidianis munditiis cenſuit? In
illa copia, in illa affluentia rerum, in illa moroſa elegantia, et ſub-
tili videndis artibus iudicio, adeo pueros, adeo pepones ac ſtipi-
tes

aliquis credat Romanos veteres, vt, quae essent reapse fictilia, non agnoscerent in manibus posita, sed pro gemmis haberent? Atqui istud ac talia comminisci ausus est Cardanus, atque in eo ferme vno Cardanum sequi, ad reliqua aduersarius, instituit Scaliger maior. Inter nos hodie, in hac mera munditiarum ignoratione, nemo tamen adeo rudis est ac rusticus, vt porcelana, cum primum ante oculos posita obseruauerit, fictilia non agnoscat, si quidem ille fictilia ante alia quoque vnquam viderit, porcelana non viderit. Sane enim in Sinicis statim apparet, totam formam, tum quidquid est inducti coloris, id igne liquefactum fluxisse. In lapideis contra vasis, atque in gemmeis, colores innati materiae, et metallorum communis natura, et vasis formandi opificium, vel celte scalpti, vel harenis triti, quo pacto possit oculos inspicientis effugere? De his autem infra pluribus. Quartus post illa Plinii de murrinis locus, vbi de vitris disputat, et imitantia murram, vt gemmas alias, vitra commemorat, eadem opera affirmat, murram esse gemmam, aut gemmis proximum lapidis genus. Aliter enim si esset, murrina quoque ipsa vitra dixisset. Est enim vitrea porcelanarum natura, et perfectissimum id fere vitrorum habetur genus. Denique quintus in hoc opere super argumento nostro locus, tanquam reliquis omnibus amplior, studiose contemplandus est. Dicitur ibi Pompeius Ioui Capitolino dicauisse *capides et pocula* ex murra. Namque sane haec lectio vera et germana videri omnibus debet, quam equidem ex diuinatione, neque adiutus in hac re libris, secundum id, quod Harduinus edidit, *lapides et pocula*, Plinii verbis restituo. Non enim minus hoc erat frigidum, quod Harduinus repererat, quam id, quod antea legebatur, *sex pocula:* rem tantulam in triumpho tanto? dignum videlicet superbia Pontica, et tot regum instructa gaza, donarium! Duo millia murrinorum in regiis thesauris tum a Pompeio inuenta fuisse, licet intellegere ex Appiani testimonio. Credibile est, ea omnia Ioui dicata fuisse. Non enim haec ipsa vasa in priuatorum vsum, sed alia talia, paullo post transiisse significat Plinius. Plurimum indies sine dubio aucta fuit Romae eorum copia, vt sub Nerone domus vna consularis tot praeberet mixta fortassis reliquo luxuriae instrumento murrina, quot theatro sufficerent exornando. Quantum ad sententiam Plinii ex hoc loco

XXV Fieri non posse, vt falsus sit hac in re Plinius.

Li. XXXVI. cap. 26.

XXVI Eius testimonium quartum.

Li XXXVII cap. 2.

XXVII Et quintum.

Plinii loco mendosissimo medicina.

conf. inf. n. 38.

Alius illustratus.

XXVIII Vera Plinii

ſententia e di-
ctis eruitur.

co emergentem obſeruamus, eum haud dubie murram in gemmis, propter colorum pulcritudinem, raritatem, auctoritatem, et adfinem reliquis gemmis naturam, habuiſſe. Hic enim eius liber gemmis deſtinatus fuerat totus: in quo, cum non moroſe characteres gemmarum omnes, et praeclaram duritiem, ſequeretur, murram in eis cenſeri poſſe putauit, quemadmodum et ſuccinum quoque.

XXVIIII
Abſonam eſſe ſententiam contrariam, capacitatis et macularum indicatura,

Deinde omnia ibi clamant, natura murram fieri, non arte. Quid attinebat, tantopere capacitates murrinorum aeſtimare, ac dicere, ea mgnitudine inueniri, quae ſatis eſſet vaſi potorio: ſi manu fierent ea vaſa, ad arbitria figulorum? Quam frigidum fuiſſet, in eis, quorum formae et volumina omnibus modis differre poſſunt, ambitum et orbiculos metiri? Nemo vnquam credidit vas fictile maius vaſi potorio fieri non poſſe.

XXX
et pretiis murrinorum:

Neque in his, quae hominum opera fiunt, cum a multis expetuntur, multiplicantibus pro ementium ſtudio officinis, et mercatorum turba certatim ea ferentium, ſtare in eodem loco raritas et magna pretia poſſunt. Cotidie contingit, vt ea, quae ante paucos annos magno indicata ſunt ob raritatem, iam vili veneant nata ex deſiderio affluentia. Quod idem hodie in porcelanis fere factum eſt, et neceſſe erat olim factum fuiſſe, ſiquidem aliquis tantiſper fingat, quod ne fingi quidem et concipi animo poteſt, murrina veterum porcelana fuiſſe.

XXXI
et conſtantia auctoritatis, cum fraus eſſe diuturna nulla poſſit:

At vendentium fortaſſis fraude, vt magnis pretiis murrina extruderent, celari potuit eorum opificium, et caritas rei in eodem ſtatu mendaciis defendi? Porcelana primum non erant talia, vt pro gemma excauata vllo pacto, vel imperitis ac ſtolidis hominibus, poſſent dari: deinde neceſſe erat, vt lucrum in re tali multorum mercatorum indies ſtudia prouocaret, qui murrina e Parthis certatim peterent, et nulla fraus diuturna plurimorum hominum in conſcientia habetur. Iam vero et pretia eorum vaſorum maxima, praeſertim grandium, et opinio de natura, et de natalibus eorum, a temporibus Auguſti ad tempora Traiani, et vltra ea tempora, conſtantiſſime durauiſſe deprehenditur: quod ſatis probat, non falſos in ea merce agnoſcenda Romanos fuiſſe.

XXXII
et comparatione vtriusque generis:

Magnitudo autem murrini ad ſextarios tres capientis, rariſſima certe futura eſſet in achate, et multo magis in alia quauis gemma, videretur que tale vas potorium nobis quoque hodie maximum, quod vtraque manu tenendum ſit. Verum ea capacitas in fictilibus adeo nihil

habet

habet miraculi, vt ne mediam quidem formam eorum fictilium, quae vulgo ab omnibus fiunt, impleat. Quis credat rem tam paruam, tam parabilem, tam non raram, tantis olim pretiis constitisse? Fieri hoc quidem in gemma potuit, hodieque fit; in poculo, quod e terra fingeretur, non potuit. Testatur Plinius obrosum illius capacis murrini marginem fuisse: quod arguit, murram teneriorem reliquis gemmis esse. Achates enim, aut onyx, obrodi dentibus non potest. Sed idem arguit, porcelanum istud non fuisse: nam porcelana non magis arroduntur dente, quam gemmae. Inueniri murrea scribit idem: quod eorum est, quae natura gignuntur. Non inuenitur, sed paratur, quidquid ex officinis petendum est. *Humorem* ait *sub terra densari*: quis hoc pacto sanus describat argillae cocturam? Crassitudinem murrae notat paucorum digitorum esse, quanta sufficiat, vt in ea crassitudine calix, quem vulgo ventrem vocant vasis potorii, excauari possit. Haec rursus ad gemmam pulcre quadrant: ad fictilia nullo modo. Maculas notat et colores, vt natura inditos, non pictura ex arbitrio addendos. Non arti tribuuntur maculae, sed naturae. Maculosum est, quod gignitur: quidquid artis beneficio colores habet, id pingi potius dicas. Quanquam pictum poetis quoque dicatur etiam, quidquid est natura varium, vt *pictae volucres* Virgilio, et *murrina picta* Martiali, qui tamen idem *maculosam* quoque *murram* vocat. Quid attinebat purpuram candoremque describere, et aliam varietatem, si haec omnia ex voluntate figulorum pendebant? Reliqua omnia, vt colorum repercussus, maculae pingues, sales verrucaeque, gemmarum sunt et lapidum: vasorum, quae ex argilla coquuntur, non sunt. Demit fere splendorem murrinis Plinius, qui non videtur negari posse Sinicis, quae porcelana vulgo dicuntur, nisi splendor ab ipso dicatur perspicuitas absoluta, quae quasi scintillet atque acuat remissos lucis radios. Sed istud videlicet commune Sinica cum gemmis omnibus opacis, qualis Iaspis, habent. Negat pallere: sed Sinica pallent omnia: et praecipuus in eis color, pallor est. Ait odore commendari: non olent Sinica. Nihil in illorum optimis translucere prodit: at laudatissima fere Sinica translucent, neque id in eis vitium, sed ea merito perfectio semper est habita. Scribit denique, contrariam murrinis procreandis caussam crystallum facere. Crystallum autem cum

XXXIII et duritia murrinorum minore:

XXXIIII et aliis verborum Plinii,

XXXV et rerum denique argumentis.

XXXVI Inter haec odor, color, nitor, alia.

naturali frigore denſari putaretur, conſequens eſt, vt Plinius crederet, naturali calore, non fornacibus, murram denſari. Atque haec omnia ille quidem ibi memorauit, vbi de metallis et lapidibus, non de eis rebus, quae artificio et manibus fierent, erat dicturus. Iungit haec vaſa cum aliis gemmis, et deinde vertitur eius ſermo ad gemmata, vt ſupra monuimus, argumento verborum, *turba gemmarum potamus*: quod et ipſum indicio eſt, de gemmeis eum ante egiſſe.

XXXVII Papinii Statii et Iuuenalis teſtimonia, et Martialis. Cur graues murrae.

Eodem pacto Statius, et Iuuenalis, *murram* et *murrina* cum cryſtallo et cryſtallinis eodem in loco, quemadmodum vetuſtiores fecerant, ponunt, et Martialis quidem coniungit cum auro, cum menſis citreis, et cum villis, pretii cauſſa. In Statii verſibus praeterea recte obſeruauit Gretſerus, *graues* dici *murras*, vt lapidis natura intellegeretur, non Alexandrina et factitia, atque ideo leuior murra, de qua ſupra diximus. Grauiores autem ſunt gemmae omnes, et marmora, quam fictilia, et quae vitrea e terra fiunt: etſi ſciam Boetium a Boot ſine cauſſa diſſentire.

XXXVIII Item Pauſaniae atque Appiani.

Plane cum aliis lapideis vaſis, et cum cryſtallo, murrina comparat Pauſanias, in que eorum genere habet, aut certe murrinorum nomen vel murreorum, vel murrae, tanquam pro gemmeis atque pro alabaſtris omnibus valiturum, edit: deinde murram ſine dubio onychitidis vocabulo intellegi Appianus dicit. Vt adeo haec Graecorum cum Latinis ſcriptoribus conſenſio mire congruat ſententiae noſtrae. Eorum, et reliqua e monumentis veterum excerpta loca, infra, velut ipſo horreo aperto, dabimus, vt ne quid ambigere in rem praeſentem adductus lector poſſit.

XXXVIIII et Arriani in Periplu.

Arrianus in Periplu aut factitiam ait murram Dioſpoli venire, non veram, quod recte obſeruauit Salmaſius: aut, ſi aliud ſenſit, ἡ μοῤῥίνη λιθία τῆς λιθίας ὑαλῆς γένος, eadem ipſi in vniuerſum dicitur, quae alabaſtrum aut alabaſtrites aliis, nam τὴν μοῤῥίνην λιθίαν, *ſaxa murrina*, rectius intellegam ea, quae murram imitabantur, quam murram veram: et poteſt ὑαλῆς, pellucida, vel ſemipellucida, dici murra et alabaſtrites quoque, et ſuccinum, et cornea vngularum natura, quia aliquo pacto perſpicua ſunt: vtut multo magis perſpicua ſint vitra, et primi ordinis gemmae. Talia autem alabaſtra et ſaxa naſci, deinde manibus elaborari ea in regione, quam dicit, cum aliis gemmis ac marmoribus, ſane poterant.

XXXX Iauoleni ac Pauli ICC. auctoritates.

Iauolenus Iuriſconſultus, e veteribus ferme vnus, cum vitreis vaſis coniungere murrea aliquo pacto videtur. Verum ille meo quidem animo murrea diſtinxit a murri-

Siluar. Li. III. S. 4. Coma Earini, v. 57.
Sat. VI. v. 156.
Sat. VII, v. 133.
Li. VIIII. epigr. 59. (60.)
Li. X. ep. 80. Li. XI. ep. 71. Li. XIII. ep. 107. (113) Li. XIIII. ep. 113. (121.)
Arcad. ſuper Stygis aqua p. 251, v. 31. ed. Wechel. 1583.
Mithridat. pag. 251. (159) edd. Stephanorum.
pag. α, ι, 6. et in Com. p. 18. ſec. ed. Stukii Gen. 1573.
Exerc. Plin. pag. 144.
L, 11. π. de ſupell. leg.

murrinis, et illa intellexit eo vocabulo, quae ad imitationem murrae vitrea fierent. Nisi mauelis putare, in excerptis et coarctatis illius dictis non omnia ibi apparere, quae super his fortasse vasis scripsisset.

l. 3. §. 4. π. eod. l. 19. §. 19. de auro arg. mundo leg.

Paulus autem et Vlpianus iureconsulti, quando dubitant, gemmis adnumerari an supellectili murrina possint, confirmant nostram sententiam, quod infra copiosius disputabimus. Reliqui auctores vetusti, vt Capitolinus, vt Lampridius, vt Isidorus, vt Sidonius, cum superioribus consentiunt.

XXXXI Recentiorum primo cum veteribus consensus.

Ad recentiores vertimur. Quorum tametsi leuis est auctoritas, super re vetere, obscura, atque ipsis ignota: tamen primos ab instauratis litteris earum artium vindices, atque intellegentes viros, vestigia veterum probe pressisse, et murram gemmam habuisse, inuenimus. Nihil attinet eorum nomina ponere. Tamen inter primos atque egregios tacendi non sunt, Perottus, Beroaldus, Baysius, Agricola.

XXXXII Dissentiendi origo a Cardano.

De subtil. Li. V. p. 119. sec. ed. primam. Sec. Rouil. pag. 188. 189. Noct. ac. Li. I, cap. 3.

Primus in ea re turbauit Cardanus, cuius, pro cetera genii abundantia aestimandi, non ea debebat esse auctoritas, quae Scaligerum permoueret aduersarium. Eius enim quanquam minime spernenda videatur doctrina, et amplectenda in quibusdam diligentia, iniuria que is male audiat a multis, qua de re alio dictum est tempore: hac tamen in caussa tractanda satis liquet, perperam eum, atque alieno plane sensu, accepisse verba Plinii, ad vasa ingratiis applicata, quorum et ipse naturam iuxta cum murra veterum ignoraret, et incomperta pro veris de vtroque genere praedicaret.

XXXXIII Falso credita de porcelanis.

Fugit eum certe ratio, cum Sinica siue porcelana fieri *e succo sub terra densato* diceret: mox in illo quoque frustra est, quod scribit, murrina cum Sinicis pretio, loco, materia, artificio, conuenire. Namque his omnibus longe distant potius: qua de re infra, vbi ipsa illius verba dabimus, dicemus.

XXXXIIII IuliusScaliger amplexatus sententiam Cardani.

Exot. Exerc. de Subtil. ad Hier. Card. Ex. 92. p. 327. sec. Wech. 1601.

Iam ingens inter eruditos suo merito nomen, Iulius Caesar Scaliger, cum quaesisset in plurimis, vbi diuersum sentire a Cardano posset, in hac caussa illius temere sententiam est amplexus, vt eadem cum Sinicis murrina putaret. Verum pleraque, quae ille dicit in Exercitationibus, quando non tam murrina veterum, quam porcelana, et Fauentina, et Balearica, siue, vt vulgo audiunt, Maiolica nostra tangunt, hoc loco praeteruehi, atque infra retractare, nobis licebit.

XXXXV Excusatio ex argumenti necessitate.

Praeterquam vellem mihi in praesenti accidit, vt veri inuiolandi caussa, atque vt veteribus sua constet fides atque auctoritas, in eam ingredi disputationem necesse fuerit, quae detrahere quodammodo de summorum virorum ingeniis videretur.

retur. Enimuero, quando vel ſi viuerent illi, ſi cognati eſſent ac neceſſarii mei, quos certe, atque alios praeceptores meos, ex monumentis iuxta aeſtimo, eadem omnia, quae nunc ſcribo, procul odio aut fauore, veri cauſſa eram ſcripturus: neque illi me ſic ſimpliciter et candide agentem in diſſenſione, ſi viuerent, grauarentur, ſed quantulamcunque in communibus ſtudiis diligentiam fortaſſis agnoſcerent: et eorum cauſſa id hodie aegre ferre debet nemo, multoque minus his innocentiſſimis litteris ſtudia vlla partium immiſcere. Dicendum igitur de Scaligero, quod res eſt. De illis ſuperiorum temporum fictilibus, vt erat Scaliger, ingenio ac doctrina praeclarus, ſed nimium fere ſibi tribuens, aliorum contemtor; quam ſecure, qua fiducia, quo generis humani contemtu, quam vana et parum comperta pro compertis tradidit? Aeſtimet ac iudicet iſta, quicumque hiſtoriam porcelanorum non ignorat. *Inter miſeras reliquias Scaligerorum* ſe comperiſſe de Porcelanis ait. Demus hoc ei. Concedat hoc, quid-

De genere Scaligeri obiter.

quid eſt, reliquis viri virtutibus. Inueniat apud nos generis vtcunque fidem, qui certiora de eo diuerſis e lectionibus olim digeſſimus, quam quae vulgo ſciuntur. Verum eſt, quod Lipſius ſenſit, non dare ſplendorem illas gentes talibus ingeniis, qualia Scaligerorum fuerunt: ſed mutuum inde ſibi ſumere, et optandum principi viro eſſe, vt tales ex ſe naſcantur. Vſurpemus hoc loco illud a

XXXXVI. Super pretio porcelanorum tempore Scaligeri.

Iuuenale ſapienter dictum, *Salue Getulice*. Sed adeo ne oportuit e principali domo, magnis que in diuitiis naſci, vt quis ea fictilia haberet? Hodie nulla facile priuata domus mediocriter beata Sinicis ac Miſnicis per omnem paene Europam non eſt plena. At olim dices rem aliter habuiſſe. De Germanis concedo. In Italia contra ineunte eo ſaeculo, quo Scaliger vixit, plurima vaſa talia in pretio, in vſu, in manibus vulgo fuerunt: ea que nihilo maioris, quam hodie conſtant, tum conſtitiſſe, non ſpernendis quidem ex argumentis col-

XXXXVII Dura eorum natura, et a Maioricis diuerſa.

ligimus, atque infra docemus. Ignem ferro excuti Sinicis, quemadmodum duris ſilicibus, poſſe, notum eſt: atque id multi, nos que olim tentauimus. Sed alacrius aliquanto Miſnicis excutitur: habentur enim illis ferme duriora. Maiorica forma, ſpecie, nitore cedere Sinicis, fruſtra negat. Cedunt enim omnibus: praeterquam quod linearum elegantia, et eruditionis ingenio nonnullo, et quadam grata colorum varietate. In eo quoque falſus ſine dubio Scaliger eſt, quod videtur vanis quorundam rumoribus fidem habuiſſe,

qui

Briff. de Verb.Sign. Li. XI. verbo *Murrbina* Obferuationum Li. X. c. 18.

XXXXVIII Cuiacii auctoritas excitata.

qui dicerent, fub terra defoffa fine igne ac fornacibus durari porcelana. Sed de his infra dicemus. Illos certe fecuti Briffonius et praefertim Cuiacius, fed nihil auctoritate eorum permoti, *e gemma folis calore denfata murrina veterum* facta fuiffe, pro vera Plinii aliorumque fententia, agnofcunt. In reddenda tamen ratione illius Iureconfultorum obferuationis, cur murrina et cryftallina in gemmis non haberentur, rem acu non tetigit Cuiacius. Quod enim funt fragilia, quemadmodum et cryftallina, et vitrea, id non ea eximit e cenfu gemmarum, quae habent hoc in commune omnes, vt, quamuis contumaces aduerfus ferri aciem, et contra limae dentes, et contra cotis harenas, mallei tamen ictus, et in pauimenta dura cafus, et alternantes frigoris aeftusque vi fubita vices, non facile ferant. Sunt igitur, praefertim excauatae in vafa, omnes fragiles, vtut alioqui duriffima et contra reliquas temporum iniurias indomita ac perenni natura. Scilicet, quae primi ordinis gemmae habentur, Adamanta, Smaragdon, Carbunculos, Sapphiros, paucasque praeterea alias, iureconfulti, quod fupra monuimus, gemmas adductiore ratione vocabant: reliquas, vt Sardam, Onycha, Achatem, et Iafpidem, fere lapillos. Verum fi quis Smaragdo tenuiter excauata biberet, gemma eum fuo fenfu bibere, fine dubio Caffius I. C. quoque diceret. Verum talis Smaragdos non minus fragilis futura erat, quam cryftallus. Cryftallina non igitur ideo, vt putauit Cuiacius, gemmae effe negantur, quia fragilia, quando iftud idem conuenit in gemmas omnes. Deinde id quoque eft obferuandum, qui in gemmis effe negauiffet murrina, eum propterea negaturum non fuiffe, effe in gemmeis. Non autem in gemmis, quia neque in auro, aut in ornamentis muliebribus, cum in fupellectili cenferentur. Qua de re, nifi fallor, fatis conftat. Aliud erat igitur, gemmas legauiffe, atque aliud, in fupellectili gemmea: quemadmodum neque argento legato continebantur pelues, menfae, lecti, repofitoria, aquiminalia, fcaphia argentea, quorum alia in fupellectili, alia in mundo. Turnebus Propertii ne an Plinii fidem fequi maluerit, in incerto eft. Ceterum opponere alterum alteri non erat opus. Non enim, quod fupra vidimus, pugnant. Deinde, fi pugnarent, nulla erat cauffa, cur poetae in vno verficulo lufus audiretur aduerfus plurima verba boni ac diligentis fcriptoris, qui in fuo ac proprio argumento verfabatur explicando. Iftud faltem in Turnebi verbis noftram adiuuat fen-

Eius opinio eleuatur.

XXXXVIIII Gemmae, quo pacto durae, et tamen fragiles.

L Iureconfultorum veterum fuper gemmis fententia illuftrata.

Gemmea in gemmis.

Gemmae tamen non funt in fupellectili; fed gemmea.

LI Turnebi auctoritas.

Aduerfar. Li. VIII. cap. 1.

LII Et Iosephi Scaligeri. tentiam, quod non aliena sensus significatione Plinii dicta, velut fe-
cerat Cardanus, accepit, sed vera ratione. Quid iam faciamus Io- Ad Propertium Li. IIII. eleg. 5. v. 26.
sepho Scaligero, adeo ad miraculum docto, adeo praeclare ingenio-
so, qui sic fungos, sic stipites Virgilium, Senecam, Plinium, Mar-
tialem, aliosque veterum primarios putaret, vt porcelana fictilia
Quantum insit in ea iniquitatis, ostensum. tanto tempore in manibus haberent: magno emerent, ridente inte-
rim mercatore ac nauta: gemmas sub terra natas putarent. Talia
sibi aliisque persuadere velle, et propugnare, et ridiculos eos dice-
re, qui alia omnia hariolantur eo, quod certam Plinii aliorumque au-
ctoritatem, prae incertis vnius admodum poetae verbis, sequuntur,
quam fidentis animi, quam securi, qua credulitate illudentis humano
generi est? Donemus talia viro in ceteris vnico, in propugnanda
sententia, in quam semel concessisset, impotenti. Demus pietati,
quae in transuersum fortassis raperet, vt aut temere assentiretur patri,
aut saltem sententiam eius, vtcunque infirmam, defendendam sibi ta-
LIII Non falsi hac in re veteres putandi. men putaret. De re supra diximus, fieri non posse, vt sic erra-
rent veteres; et si errarent, potius esse, vt hi, qui primi tetige-
runt, habeantur decepti in re semel aut nunquam visa et rara, quam
vt illi, qui eos secuti sunt, in re nota et cotidiana ipsis, eum admi-
sisse errorem credantur. Et sane iniquum futurum esset, Senecae, ac
Plinii, aliorumque veterum auctoritate, quam agnoscit Scaliger, eo-
rum praesertim, qui de suo et proprio argumento, quod in mani-
bus habebant, in re cognita, perspecta ac domestica, cum cura,
multisque cum verbis, sententiam expromserunt; eorum, inquam,
fidei opponere audere vnum vnius poetae e carmine amatorio versi-
LIIII Plinii in talibus fides quemadmodum aestimanda. culum, eumque ancipiti significatione, neque lectione satis constitu-
ta. Potuit multimodis falli Propertius: potuit vno in vocabulo ne-
glegens videri: potuit item existimare sibi, vt poetae, talia non es-
se praestanda: Plinius, aliique tales, non potuerunt. Attamen,
quae est temporum nostrorum in monumenta veterum iniquitas, do-
ctissimi viri multi manifestam Plinii rebus in multis neglegentiam si-
ne dubio accusant. Dicam equidem quod res est. Si maxime illa
videatur ferenda multorum ad reprehendendum vetera atque obscura
procliuitas: si iniquum non sit, in tanto litterarum naufragio, cum
pleraque monumenta, ex quibus veteres scripserunt, hodie non ex-
tent, ad haec pauca, quae habemus, et quae illi fortassis iure abie-
cta insuper habuerunt, tanquam ad certam regulam, eorum dicta
omnia

omnia exigere: si fas non putetur, in tanti operis instituto, non dicam Plinio, tot rebus grauissimis, tot honestissimis innexo studiis, sed cuiuis alii scriptori, saepicule somnum obrepere: tamen inhumanum esset absentem, indicta caussa, ex tabulis corruptis, condemnare. Demus in eis, quae ex libris excerpsit Plinius, vana interdum et falsa, secundum Graecorum ingenia, auctorum suorum fide, scientem prudentemque scripsisse ac scribere debuisse: interdum quoque ipsum, vel auctoritate et errore aliorum, vel lectionis assiduae copia, atque enotandi festinatione, deceptum fuisse. Sed sane, quae vir talis ac tantus, ex ingenio suo, atque ex vsu Romae, se viuente cognita et perspecta, adnotauit, in his eum mendacem, aut falsum, aut imperitum atque ineptum fuisse, id vero dari et concedi nullo pacto potest. Talia sunt, quae ipse aliique tradiderunt de musica, de pictura, de spectaculis, de adamante domando, de murrinorum aliarumque natura gemmarum, quarum aliquae hodie non magis extant, quam veterum opera multa: porro de rupibus aceto frangendis, de que aliis id genus rebus, incompertis quidem atque inuisis inter nostros homines, et propterea incredibilibus vulgo. De quibus omnibus quaerere, quae et qualia fuerint, licet: negare ea, contradicere veteribus, mendacii aut puerilium errorum arguere eos, nisi per summam impudentiam, non licet. Finge tibi, accidere mutatione imperiorum et rerum vicibus posse, vt conscientia ac memoria omnis diri pulueris, quem pyrium vulgo appellant, generis humani bono intereat. Tum inueniat aliquis posterorum diligentissime in vetere scriptum libro, carbonarii pulueris misti cum sale ac sulphure heminam, orbe ferreo quingentos passus iactato, parietem perfregisse, aliquot amphoras non multas propugnaculum ac turres euertisse. Non sane is ea minus vana et falsa, nisi egregie doctus, putabit, neque magis tenebit risum, quam militum nostrorum e vulgo quilibet, qui carbonibus suis superorum quoque domos perrumpere se posse putant, aceto non putant, vbi istud de Hannibale legerit,

LV
Duplex eorum, quae reprehenduntur, caussa

Exemplis probatur,

Quomodo sit versandum in antiquis, qua fidem superant.

LVI
Quemadmodum vetusta ac sepulta fiant incredibilia, exemplo probatur.

- - *et montem fregit aceto.*

Scilicet ille certissimus imperitiae mentisque indomitae fructus est, sua probare: vetustis praesentia longe praeferre: prae his contemnere instituta maiorum, vt indoctorum ac rudium: antiqua et inuisa vana habere. Quoties talium frequentissima iudicia, et populares hodie, sed

Negare obscura atque incomperta, imperitorum est.

ſed inhumanas voces audio, ſubit mentem mutatis duobus admodum vocabulis veriſſima Comici ſententia,

Homine imperito nuſquam quidquam iniquius,
Qui niſi quod ipſe vidit, nil verum putat.

LVII Minus eſt abſonum, concedere auctoritatibus, quam pugnare.

Mirum igitur iure videtur Scaligero, ni iſta in murrinis Plinius vidiſſet. Quis enim credat, virum talem, quae in manibus haberet vaſa, cum eſſent fictilia, quod eſſent agnoſcere non potuiſſe. Sed in eo aliud non minus eſt mirum: hoc ſummo ingenio, neque contemnendo rerum vſu virum primarium, qui adeo pulcro et honeſto ſaeculi ſui iudicio princeps litterarum proderetur, quae fieri nequeunt, ea credere potius in animum induxiſſe, totique veterum claſſi leuiſſimam auctoritatem opponere, quam vt auderet de vnius verſiculi lectione dubitare, aut vt diuinaret, poſſe vſuuenire, vt diuerſa eſſent Propertii fortaſſis murrea a murrinis aliorum.

LVIII Virgilii verſu non diſtricte murrina ſignificari, nec gemmata, ſed gemmea.

Quod ait Scaliger, Virgilium murrina ſignificaſſe ſub gemmae vocabulo, Georg. L. II. v. 506.

Vt gemma bibat et Sarrano dormiat oſtro:

iſtud vero incertum eſt. Gemmea enim certe, non gemmata, qui quorundam interpretum ad id eius dictum error eſt, deſignauit poeta. Sed cryſtallina, an onychina, an murrea, aut alia ex gemma facta, ſi quis intellegere vellet, in ancipiti reliquit: aut omnia potius communi omnibus vocabulo comprehendit: praeſertim ideo, quod murrina eo tempore, quo Virgilius ſcripſit, rariora eſſent.

LVIIII Cryſtallina gemmae vocantur, vitrea non item.

Quod dicit Scaliger, gemmam murrina appellari, quemadmodum vitra et cryſtallina: de vitris ſine dubio negamus: in cryſtallo id recte atque ordine fieri aimus. Cryſtallus ſemper in gemmarum claſſe habita eſt, hodieque gemma habetur. Quo minus autem Cryſtallina Iureconſultorum ſenſu in gemmis adnumerari vellent, alia ciuilis ratio vetuit. Gemmae enim in ornamento muliebri ferme, potoria vaſa in ſupellectili legata. At gemmea omnia eſſe vaſa neceſſario intelleguntur, et ſupellectilis pars: non ſunt igitur comprehenſa, ſi gemmarum vocabulum in teſtamento ſcribatur: quando gemmae ad cultum corporis, non menſae inſtrumenta ſunt. De re ſupra diximus. conf. ſup. num. 50. Iam vitrea ſi quando, e nonnulla ſimilitudine ſplendoris, honorem alicuius vocabuli a gemmis tracti meruerunt: id raro fit, et licenter, et pro ratione poeſeos καταχρηστικῶς· murra contra, apud philoſophos aliosque ſeueros ſcriptores, conſtanter gemma, et iure, appellatur. In exitu annotationis ſuae rectiſſime obſeruat Scaliger,

murrae

murrae vocabulum origine Latinum esse, et Latinam formam *murri-na* a Graecis, non mutatis vtriusque elementis, vsurpari. Consen- tiunt in eo Arrianus et Pausanias. Μόῤῥαν illi constanter dixerunt et μοῤῥία et μόῤῥινα· non σμύρναν, et σμύρνεια, aut σμυρνία, quem-admodum Salmasius etiam monuit. Id quod facile inconstantem suo quoque vitio sententiam Michaelis Mercati euertit, qui, vt Baronius de eo testatur, murrina veterum e myrrha (*d'Ambre gris*) facta olim fuisse censuit. Adeo ne rursus omnis veterum chorus infans et amens habendus sit, vt, qui longe rectius stacten, myrrham, alios que odores, cotidiano vsu perspectos haberent, quam nos vix nuda eorum nomina, et quaedam vtcunque mangonum adulteria, illi resinam in poculis non agnoscerent, et lapidem sub terra calore densatum crederent? Talia his qui volet persuadeat, quibus persuadebit nuperus scriptor, qui super aere Corinthio sententiam expromens suam, nihil aliud fuisse censuit, quam aes Cadmia fossili adiecta in colorem paullo gratiorem e rubro corruptum, quod orichalcum hodie pingui item Minerua dicunt. Talia quo pacto celebrari queant, nisi vel ab insignite securis in magna inscientia, vel ab eis, qui adeo contemnunt genus humanum, vt putent, se obtrudere ei amplectenda vana quaeuis ac falsa posse. Secundum Scaligerum iam nemo voluerit se detineri in audiendo vel Stuckio, qui item porcelana esse, καλαΐνα ὄστρακα, videtur putauisse, vel Bernartio, qui non vno nomine inferior, quae iam antea a viris doctis super quaestione de murrinis diligenter dispuncta fuerant et ordinata, ea omnia denuo turbat. Non ideo, quia e gemmis eximit Vlpianus, gemmea non sunt murrina, neque propterea reprehendendus erat Ge. Agricola, in quem et Plinium torqueri non potest Capitolini dictum, quod pro eis facit: et bene onychina ex onyche marmore alabastra intelleguntur, quibus sane ideo adfinia magis murrina, quam gemmeis reliquis: sed tamen gemmea quoque recte dicebantur. Non enim ex indomita duritie sola aestimantur gemmae: verum e coloribus, e raritate, e breuitate glebarum, quas natura producit: lapides nonnulli in gemmis, vtut teneriores illis, censentur, qui eodem iure eadem que vocabuli imponendi licentia, et marmora dici, et alabastra, et lapilli, si quis mauelit, possunt. Propertius quae coqui dicit, non eadem sunt fortasse cum murrinis, et quod coqui dicit, fictilia certe esse propterea non ait: sed idem sine vllo dubio Mercati sententiae refragatur. In

[Left margin notes:]
Exerc. Plin. pag. 143, b, F.

Antiqu. conuiual. Li. III, c. 12. p. 539. Ad Statii siluas, Coma Ear. v. 57.

conf. sup. num. 18. n. 59, 58. et inf. n. 62, 63, 72.

[Right margin notes:]
LX *Murra, murrina,* Latina vocabula, non Graeca.

Mich. Mercati opinio eleuata. Quam sit absonum, talia aduersus veterum auctoritatem comminisci.

LXI Bernartii testimonium.

Obiectis ab eo paucis responsum.

his tamen omnibus Bernartii dictis modestiam viri cum doctrina coniunctam haud grauatim agnoscimus, eique habemus gratiam, quod recte accepit verba ac sententiam Plinii; quod in expedienda quaestionis difficultate cum haereret, quae essent dubia ingenue est professus: quod noluit praecepto sibi iudicio venire aduersus tantas auctoritates, a quibus simul recesseris in re vetere atque obscura, anceps discrimen subeas, vt et ipse verseris in errore, et alios erroris temere accuses.

LXII Testimonia Gruteri, Martinii, Vossii.

Eodem prope tempore Gruterus, in animaduersionibus ad Senecae opera, super murrinis nonnulla adnotauit, vbi videtur Plinii sententiam amplecti, ac putare, murram gemmam fuisse. (de Benef. L. VII. cap. 9) Neque alieni sunt ab hac opinione Martinius, et qui eius fere vestigia pressit, Ger. Vossius. (in lex. Philolog. in Etymolog. verbo, *Murra*.) Hic enim recte agnoscit, murram fuisse lapidis genus: sed murrina certe vt fictilia, Scaligeri deceptus auctoritate, tractat, putatque, e murrae lapide contrito, eoque, cum in pollinem redactus esset, aquis macerato, facta olim ea vasa fuisse.

Ge. Agricola aduersus Vossium defensus.

Quam ob rem Ge. quoque Agricolam, vt qui talia non viderit, reprehendit. Sed salua res est: recte ac scienter accepit Agricola, quae Plinius tradiderat. Non massam effodi, vnde argilla fieret, scripsit ille, sed lapidem coloribus suis, cetera specie, atque ea magnitudine, quae sufficeret vasi potorio, perfectum. Deinde errabat in eo Vossius, quod e lapidis duri polline talia vasa confici posse, falso porcelanorum exemplo, putauit. Ea enim fingi e teneriore massa, quae argillae potius naturam habeat, hodie non est dubium.

LXIII De *murra* lapide, eiusque natura, explicatius.

Murra autem, vt de ea iam nunc, secundum expedita veterum testimonia, distinctius paullo ac subtilius dicere liceat, sine dubio lapidis genus est, purissimi emendatissimique. Tum eius natura onychi marmori, et alabastro puriori, potius adfinis est, quam durissimis marmoribus, atque Iaspidi, reliquisque gemmis. Vincit autem alabastritem, atque onychitem, et Numidicum flauensque marmor, (*il giallo antico & i brocatelli*) gratissimi coloris varietate, et gemmas quoque plerasque eximia raritate, et fortasse quibusdam propriis vasi potorio, vinique seruandae fragrantiae, virtutibus, quas potest fieri, vt veteres agnoscerent, nos hodie, quemadmodum rem quoque ipsam prope, ignoremus.

LXIIII Qui fiat, vt gemma dicatur.

Murra igitur, cum esset talis, propter hanc singularem auctoritatem, propter coloris gratiam, propter raritatem, gemma dici et poterat, et vsu magistro ferme debebat. Nos hodie quoque talia multa celebramus, et gemmas vulgo non indocti dicimus, quae alii,

eadem

eadem venia digni, saxa malunt habere, aut lapillos, aut marmora. Adfinis in his natura spectatur, et ad ferenda super nominibus iudicia species aliqua et similitudo saepe sufficere creditur, incertis praesertim ac multifariam turbatis rerum talium finibus, neque satis vbique explorato, qua silices, qua marmora, qua lapilli, qua gemmae dicendae sint. Ex his existit, vt, si quis onycha indiscrete appellat murram, siue gemmam intellegat, siue marmor hoc nomine cognitum, is propterea reprehendendus non sit, vtrique enim pariter adfinis habetur: gemmae, coloris et cuiusdam splendoris ac raritatis gratia: marmori, teneritudine naturae et reliqua specie. Itaque non omnino ratio fugit Boetium a Boot, qui suspicatus est, fieri posse, vt murra veterum Sardonychis fuerit genus. Nam quantum ad colores, aliqua in parte conuenire murrae cum Sardonyche, dicendum est. Isti enim gratiam conciliat ex spadice et albo in rubentem aut luteum translucens splendor: illa fere ex luteo in purpuram transit: atque istud e Plinii quoque verbis potest intellegi. Tamen quadrifariam a Sardonyche distincta est murra. Purpureo primo colore: nam in gemma plerumque dilutior Sardae est, non purpurae color. Dein figura et situ colorum, quando maculas in giluo vndarum veluti quibusdam spiris circumductas habet murra: at Sardonyx strata colorum: in hoc emendatissimi generis crusta pallet: in murra hoc vitium habebatur Plinii testimonio. Post illa glebarum quoque breuitate inter se distant. Murra enim tanta inuenitur, quanta sufficit vasi potorio: Sardonychus anulis prope solis, ac digito gestari aptus, ad illam magnitudinem nunquam accedit. Postremo contumaci aduersus ferrum et harenas natura plurimum differt. Sardonyx, adamante solo vulneranda, durior est, quam vt obrodi dentibus vllo tempore possit, quod in murrino accidisse Plinius scriptum reliquit. Non erat igitur caussa, cur eam quorundam opinionem, qua putabant, esse nonnihil adfinitatis inter Sardonycha et murram, cum ea se praesertim tueri Sidonii suffragio possit, tantopere exagitaret Salmasius, aut cur antea Guibertum reprehenderet Gretserus, quod scripsisset, *Sardonychis speciebus, et gemmis onychinis quibusdam variegatis, torno politis et elaboratis, indicia a Plinio murrinis data conuenire posse*. Nam vt aliqua, veluti purpurae colorem et duritiem, non satis considerauisse videatur Guibertus, tamen apparet, illa non ideo eum dixisse, vt probaret, murram plane onychem fuisse,

LXV Atque eadem Onyx aut Sardonyx.

In opere de Gemmis.

Boetii a Boot opinio obiter defensa.

Conf. omnino Salmasius in Ex. Pl. et, si est tanti, quae scripsi de Sardon. in Museo Foss. Richt. Pag. 186. 209. In eo, quod est rarum, ligula spectatur ferme Sardonychina.

LXVI De Sardonyche explicatius dictum.

LXVII Doctorum virorum super eo error.

Exercit. Plin. tomo I, pag. 144, a

Guiberti locus ab iniuria defensus.

LXVIII
Cur licuerit, modo gemmam *murram*, modo lapidem onychitidem, modo onycha, modo Sardonychum, modo succinum dicere, exemplis declaratum.

se, aut Sardonychem, sed vt rem obscuram per adfinia illustraret. Et sane hanc veniam vulgo petimus, damus que cuilibet, in re parum certa et cognita explorata que, vbi non licet a praesenti exemplo graphice ductis eam velut lineis designare, vt e similibus et cognatis describamus. Sic saepe alienis quoque, e quadam generis similitudine, aut ab vsus rerum cognitarum vicinia, depromtis nominibus, dicimus ea, quae noua sunt atque inuisa, neque adhuc suo ac proprio vocabulo insignita. Itur autem per genera eorum, quae dicenda sunt, per finitimas species, vt aliqua similitudine ea, quae sunt rara et antiqua, aut noua et indicta, dicamus. Id hoc pacto et factum est semper, et fiet in posterum, neque ea est illorum, qui in litterarum studiis ac doctrina versantur, neglegentia; sed quaedam necessitas, quam imperat non tam infantia scriptorum, quam vsus atque inscientia legentium, quibus rem notis vocabulis, per quae sola potest, demonstrari oportet. Sic nonnihil saepe intellegunt per vicina res edocti nomina, qui nihil eorum cepissent, si vera et propria, sed inaudita, ederentur. Quod si quis igitur docendi caussa onychis aut alabastri genus murram, aut Sardonychi quodammodo similem diceret, rectius ac perspicue magis diceret per adfinia, quam qui summo genere indicato, lapidem sub terra concretum, coloribus spectandum. Talium cotidiano de antiquis praesertim disputantium vsu omnia sunt plena. Licebat multa subtiliter, inuento aliquo scito ac proprio vocabulo, distinguere: sed communi, eoque minus apto, sed ab aliqua similitudine ducto, lubentius vtimur cum vulgo: scientiam nobis seruamus.

LXVIIII
Rursus rerum cotidianarum exempla, et ratio.

Hac lege tormenta passim docti indocti que dicimus, in quibus nihil est tormenti: triremes hodie, in quibus trinum nihil est, cum vnis transtris, non ternis, regantur: exscriptos codices, in quibus nihil est scripturae, sed machinae opus: sculpta, quae trita sunt aut scripta: atque id genus alia innumerabilia. Lucas boues dicebant veteres quidem explicatius, trito et cognito vocabulo, quam elephantos, nouo: non quod hoc nescirent, aut quod esset aliquis priscorum hominum adeo rudis, vt, quid distaret vtriusque animantis natura non videret, sed vt quocunque potius vocabulo noto, quam nouae rei nouo, vterentur. Ista populo sunt concedenda a doctissimis quibusque, qui eius vsum maiore compendio saepe sequuntur, quam seueram proprietatis legem.

LXX
Quam prae-

Iam nullum est aliud facile argumentum, in quo plura verbis non propriis,

priis, sed per adfinia, dicere oporteat, quam res gemmaria. Omnes, verbi caussa, gemmae appellari posse lapilli, tanquam communi earum genere edito, videntur. Ex his lapillis alii gemmae habentur ab aliis, alii non habentur. Saxa item quaedam marmorum in classe censentur ab aliis, atque ab aliis in ordine gemmarum. Smaragdon, Chrysolithon, Carbunculum, Adamanta, et quae sequuntur, agnosci, et his nominibus indicari a quibusdam, peruulgatum est, quas alii item non imperiti gemmas hoc charactere, his vocabulis noscendas, non admittunt. Est nonnulla in finibus quoque regundis difficultas, inter Smaragdon et Prasium, et Iaspida, et Achatem, et Onychem. Sardonychem aut ignorant multi, aut eius genera miscent et confundunt. Antiquorum quoque aliquis in hoc argumento dissensus exercet studiosos. Nostros homines a vero longius deduxit, cum inopia exemplarium, quibus inspectis, et signis rerum atque argumentis certis inuentis, antiqua firmarentur vocabula, tum etiam, cum fiducia quadam coniuncta huius saeculi licentia. Ge. Agricolae probabilem diligentiam pauci sunt aemulati. Itaque fit, quod supra monui, vt in re ferme incognita non id quaerendum sit, quam propriis rem nominibus, quae obscura futura erant, dicamus, sed quam tritis vulgo et perspicuis vocabulis, quae fere ex adfinium et similium ei rei, quam describimus, sunt genere petenda. Hac certe sirempse lege factum est olim, neque est propterea mirum, si quis veterum gemmam appellauit murram; vt Virgilius fortassis, vt Seneca, vt multi: si quis contra dixit, in gemmis eam non esse; vt Cassius Iureconsultus: si quis onychem appellauit; vt Propertius: si quis onychitem lapidem; vt Appianus: si quis succinum, a quadam similitudine, vt Apuleius: si quis comparauit denique cum crystallinis; vt multi: cum onychinis; vt Lampridius: cum Sardonyche; vt Sidonius. Possunt enim haec omnia dici aliquo pacto de murra. His dictis velut in transitu atque aliud agendo eleuauimus argumenta Gretseri, quibus opinionem Guiberti, siue Gilbertum dicere mauelis, vt parum firmam, ita non improbandam tamen, vtcunque oppugnauit. Quemadmodum Salmasius quoque Guiberti libellum, quem legerat, iniuria saepius, quam iure, vellicat ibi, vbi de Sardonyche et Onychite praeclara annotauit in Exercitationibus Plinianis. At deceptus erat, nisi fallor, Gretserus eo, quod sola ac nuda Plinii verba sequeretur, neque rei gemmariae, ex

sertim locum habere in re gemmaria, ostenditur.

LXXI
Augetur haec varietas alia difficultate.

LXXII
Inde natus est quidam super murra dissensus.

loca eorum auctorum suis numeris infra et passim excitantur.

LXXIII
Ventum est ad Gretserum, quem interea labantem in viam restituimus.

p.395.396.

 ipsis

LXXIIII Verioris super murra sententiae postliminium.

ipſis metallorum glebis diſcendae, vſum haberet. Verumtamen agnoſcenda eſt et illius, et duorum praeterea doctorum virorum, qui exeunte ferme ſaeculo poſt Chriſtum natum XVI. ſcripſerunt, inſignis ſuper murrrinorum antiquitate diligentia. Illi enim de his vaſis congruentia, atque ſine dubio meliora, litteris conſignauerunt copioſius, quam qui ante eos hanc quaeſtionem tetigerunt auctores. Facile intellegent rei librariae ſtudioſi, praeter Gretſerum, in mantiſſa ad primum de ſancta cruce tomum, me deſignare Nicolai Guiberti librum de murrinis ſigillatim ſcriptum, atque ea, quae Iul. Caeſar Bulengerus ſuper eo argumento inter alia edidit. Sic autem in ea re explicanda verſatus eſt Gretſerus, vt primum auctoritatibus veterum probaret, murrina vere lapidea fuiſſe: Plinii quidem, qui in libro gemmis enarrandis deſtinato deſcriberet, cumque eis, et cum cryſtallinis, murrina ſemper coniungeret: Pauſaniae, qui in lapideis haberet etiam: Arriani, Senecae, aliorum; quod de eis illa, quae ſupra inſpeximus, litteris conſignata reliquiſſent. Deinde diſputauit, quam nulla in re conueniret porcelanis cum murra, Scaligeri de illis tradita, cum verbis Plinii ſuper hoc genere, contendens. Non adeo obeſos videri veteres, vt quae eſſent fictilia, cum in manibus haberent, non agnoſcerent. Hoc eodem argumento Bellonii ſententiam euertit, qui e conchis quibuſdam confecta, et dicta ab illis, tanquam a murice murrina, voluerat. Propertii illo vtcunque elego defendi Scaligeri aliorumque ſententiam non poſſe. Focos fortaſſis a Poeta, ſecundum licentiam artis ſuae, illas ſub terra ſpecus dici, in quibus humor naturali in lapidem calore denſaretur. Fortaſſis non de vera et germana murra eum verſiculum accipiendum eſſe, ſed de adulterina, quae reapſe in caminis, quemadmodum alia vitra, coqueretur. Fortaſſis id ſignificare poetam, quod gemmis quoque aliis accideret, vt igni emendarentur murrina. Arrianum plane pugnare pro Gretſeri ſententia. Satis enim ex comparatis eius inter ſe dictis apparere, murram eum exiſtimaſſe lapidem eſſe, et naſci Dioſpoli; non arte ibi fieri: praeſertim quando Theophraſtus teſtetur, Thebis Aegyptiacis alabaſtritem naſci. Thebas autem Dioſpolin eſſe, notum eſt: et murram dici poſſe alabaſtritem, et dictam ſubinde fuiſſe, equidem ſupra demonſtraui. Iureconſultos quoque a fictilibus murrina diligenter ſeparare: Plinium autem genus alterum alteri bis etiam opponere. Mercati argumenta vim habere nullam:

Guibertus ſecundum Gretſerum laudatus et Bulengerus.

LXXV Gretſeri dicta percenſentur.

Haec opinio, quae et Begeri, non eſt admittenda. Reliqua omnia praeclara et cum noſtris cogitatis conſentientia.

a cap. VII. ad cap. XII. p. n. 912. ad 926. ſec. ed. Ingelſtad. a. 1616.

de Conuiu. Rom. Li. IIII, c. 13.

c. 8.

c. 9.

p. 917.

Li. 35. c. 12. c. 10. p. 920.

nullam: nec eos audiendos ideo videri, qui e myrrhae arboris lacrimis ea pocula confecta fuisse contendant. Guiberti de murrinis liber ex instituto conceptus hoc titulo, quantum comperi, inscriptus prodiit. *Assertio de murrhinis aduersus quosdam de iis minus recte differentes: auctore Nicolao Guiberto Lotharingo D. Francofurti ap. Vuechel.* 1597. octonis. In Catalogo Bibliothecae Tellerianae titulus, iudicio an errore incertum, sic est conceptus: *Ass. de murrhinis, siue de iis, quae murrhino nomine exprimuntur.* Guibertum Antonium non recte illius assertionis auctorem appellat Begerus. Antonius enim Guibertus Costanus, Iurisconsultus, et apud Tolosates professor doctrinae atque artium bonarum, alius fuisse atque ille Nicolaus, sed eodem tempore videtur scripsisse. Extat certe in museo meo eius Polyhistor libellus, quaedam rerum antiquarum electa complexus, et formis stanneis excussus Hanouiae a. CIↃ IↃ LXXXXVII. octonis. Haec paullo subtilius, quam pro re tantilla, ideo adnotauimus, quod libri illius de murrinis qualiscunque exemplum, in instructis adeo multorum nostra que bibliothecis, in hac abundante rei librariae Lipsiae copia, hac aliorum pro nobis diligente opera, qua illud alicunde aliquo modo expediretur, conquiri adhuc nullum potuit. Non sane multum referre videbatur, istud, quidquid est, legeremus, an minus. Veri simile enim est, omnia ferme eadem ibi haberi, quae apud Gretserum leguntur, diuersis verbis, congruente procul dubio sententia. Sic argumentum, sic dicta eorum ferebant, ex quibus sua vterque hausit, atque aduersus quos vterque scripsit. Qui in inscriptione libri a Guiberto notantur, *minus recte* de murrinis *differentes*, Cardanus scilicet et Scaliger vterque, et qui eos secuti tum fuerant, intelleguntur. Difficulter autem eo ipso tempore, quo prodierat Guiberti libellus, copiam eius se nactum fuisse, Gretserus testatur: quo minus mirere, eum hodie latitare adeo paruum, argumenti adeo rari ac neglecti. Scilicet ignoratus, et situ squalidus, passim sine dubio absconditur pone illa onera bibliothecarum, quae voluminum ingenti numero ac pondere aestimanda, ambitiosius quam vtilius non norunt, nec legunt, sed congerunt atque exstruunt hoc tempore sane multi. Nimirum aestate illius anni, quo Guiberti liber prodiit, se suum de murrinis ad ea, quae de sancta cruce, commentarium scripsisse, Gretserus ait, deinde se nundinis auctumnalibus Francofurti ad Moenum propositum Assertionis titulum vidisse.

Marginal notes:

LXXVI De Nic. Guiberto nudum indicium.

Cat. Bibl. Caroli Maur. le Tellier Paris 1693. p. 416, b Thes. Brand. vol. III, p. 186.

Atque obiter de Antonio Guiberto.

LXXVII Libri ipsius copia non fuit:

LXXVIII atque olim non erat.

LXXVIIII Gretseri de eo testimonium.

Tandem,

Tandem, librum ipſum cum nactus eſſet, *cupide euoluiſſe, multaque ibi de murrhinis praeclare et erudite diſputata reperiſſe*. Sua dehinc quoque aliquo tempore preſſit, curas ſecundas, et in Guibertum ferme animaduerſiones, aſſertione illius excitatus, adiecit, *cum illo*, vt fatetur, *operam pro veritate tuenda iuncturas*. Eius iudicium ſecutus Bulengerus, dicta veterum de murrinis breuiter, ſed adcurate, percenſet, ac Iulii Scaligeri, qui porcelana eſſe voluerit, auctoritatem eleuat. Super focis, quos Propertius memoraret, aut admittendam eſſe Gretſeri opinionem, aut poetam ex vulgi ſenſu atque errore ſcripſiſſe intellegendum. Obſidianum vt arte olim album fecerint, ita murrinum quoque feciſſe veteres, e Plinio ſciri. Reliqua Bulengeri talia ſunt, qualia nos aliorum quoque dicta ſupra memorauimus. Iſtud in tranſitu obſeruandum eſt, quando ſcribit, murram noſci, *circumagentibus ſe maculis in puluerem*, operas in exſcribendo ſine dubio peccaſſe. Sunt enim Plinii verba ſic conſtituenda, vt pro puluere legamus, *in purpuram*. Apud Iac. Palmerium quoque nouam aliquam ſuper murrinis ſententiam me legere memini. Is enim, in Athenaeo cum inueniſſet, fictilia quaedam, vt ſuauior ex illis potus accideret, variis olim odoribus, ac praeſertim myrrha cum argilla in vnam maſſam coacta, infici ac fieri ſueuiſſe, putauit poſſe contingere, vt ea ſint veterum murrina, fictilia nimirum, atque a myrrha lacrima hoc nomine dicta. Verum iſtud nullo pacto eſſe admittendum, ex eis, quae ſupra ſunt diſputata, abunde conſtat. Neque eum adiuuat auctorem, quod Athenaeus illorum fictilium quaedam dicit ἐκ τῆς κόπτου καταγόμενα, nam certe hoc pacto fuiſſent in calicum Alexandrinorum genere, qui fictiles ac vitrei: non plane illa Arriani e Thebaide murrina, aut murrea. Haec talia permouere Salmaſium, virum adeo ſublimi doctrina, adeo multis raris que litteris inſtructum, debebant, vt diſcedendum ſibi eſſe putaret a Scaligerorum ſententia. At maluit tamen eam, his inuictis difficultatibus obſeptam, ſic probe ab hominibus non indoctis oppugnatam, et propterea, ſecundum ea quae diximus, ſine vlla cunctatione explodendam, denuo in medium proferre, ac defendere, porcelana noſtra eiuſdem eſſe naturae cum veterum murrinis. Vrget enim, murrina aliquos contendere facta fuiſſe ex onyche gemma: onychina ex marmore, quod ſit abſurdiſſimum: ſequi enim inde, veteres onycha ipſam murrae vocabulo dixiſſe: *de quo*

Marginal notes (left):

LXXX Bulengeri in murrinis deſcribendis diligentia.

LXXXI Iac. Palmerii opinio.

LXXXII Cl. Salmaſii ſententia, quae diſceptatur.

Marginal notes (right):

de Conuiu. Rom. Li. IIII. c. 13.

Li. 36. c. 26.

Exercit. in opt. fere auctores Graecos, pag. 517. Deipnoſ. Li. XI. c. 2.

In Exerc. Plin. ad Solinum. pag. 144.

de quo ſit altum in tota antiquitate ſilentium. His dictis Guibertum, niſi fallor, petit, et Gretſerum. Nos vero, ex onyche gemma murrina non fuiſſe facta, concedimus. Haberet ea opinio difficultates nonnullas, quas omittit memorare Salmaſius. Sed non damus, eos, qui iſtud in re obſcura putauerunt, abſurda ac toti antiquitati adeo abſona tradidiſſe. Inuenerant, gemmea dici murrina; mox, deſignari ac deſcribi tanquam ex onychitide facta. Licuit errare, miſcendo proxima. Nimirum dices, onyx, onychitides, alabaſtrites, murra, res vna atque eadem veteribus eſt, et omnium illi ſcilicet horum naturam ignorauerunt, qui, quod vnum eſſet, diuerſis, vt diuerſa, vocabulis dixerunt? Haec illius ſententia. Sed bona verba, Salmaſi. Sumimus, veteres non erraſſe in murra, quod ais; quia neque in onyche, quod negas. Damus, erraſſe recentiorum aliquos, quando *murram* dixerunt cum onyche gemma conuenire. Sed abſurdiſſimam eſſe eam opinionem, nullo pacto concedimus. Erat enim leuiſſimus is error, ac ferme neceſſarius, in rerum et verborum adfinitate, in hac munditiarum veterum obſcuritate, in inopia exempli, ex quo naturam murrae indagari liceret. Neque illi, qui ſic leuiter errauerunt, adfirmauerunt propterea, nihil inter reliquam onychem ac murram intereſſe, et veteres rem plane vnam duobus vocabulis dixiſſe. Sed putauerunt ſcilicet, ſummum genus Onychem eſſe gemmam; dein ſubiecta ei genera, Onychem, verbi cauſſa, Arabicam; Sardonychem; Murram, cetera: itaque omnem murram dici poſſe onychem; non contra onychem omnem, murram; quemadmodum omne vinum recte liquorem dicas, non contra. Sic nos, quando per adfinia euntes onychitidem modo, modo alabaſtritae genus, murram dicimus, nihil neque crudum dicere, neque falſum atque abſurdum, putamus. Deprehenſa enim lapidis natura, verba ad rem adcommodamus. Lapis, qui naſcitur, omnis, haberi aut gemma, cultui, aut marmor, tectis aut vaſis aptum, quod genus fere alabaſtrum, aut ſilex, aut caementitius, et ſi qua reſtant, poteſt. Gemma cenſetur, colore, ſplendore, natura indomita, eaque ferme paruis glebis rara: marmor, demta glebarum breuitate ac ſumma duritia, reliquis bonis: alabaſtri lapis, ſi hunc a marmore, quod non eſt opus, diſtinguas, teneritudine quadam texturae, et colore fere gratiore, et rurſus glebarum aliqua breuitate: reliqui lapides, ſuis quiſque vitiis aut commoditatibus. Iam murra, quo ſit in genere, quaeritur. Sunt autem

D adeo

adeo incerti, ac fere permixti, inter gemmas, marmora, atque alabaſtri lapidem, fines: vt aliqua marmora, atque aliqua alabaſtra, gemmas, mox alabaſtri lapidem omnem marmor appellare, ſi cui libeat, plane liceat. Gemmam igitur murram veteres quoque ſuo ſibi iure dixerunt, vbi colores, nitorem, raritatem, breuitatem glebarum, non etiam duritiem, ſpectauerunt. Nos, quia ad abſoluendum gemmae indicium indomitam illam contumaciam requirimus, explorato iam nunc huius lapidis ingenio, in gemmis eſſe iure ſummo murram negamus; in alabaſtrorum genere eſſe aimus. Porro onyx marmor, onychites, alabaſtrites, adeo in extremis illis inter marmora et alabaſtri lapidem finibus, colore quoque indiſcreti, haerent: vt alterum alterius vice ſine magno errore dicere poſſis: et murram vt liceat habere, quemadmodum alabaſtri genus, ita ſiue onychitidem, ſiue alabaſtritem dicere, ſed emendatiſſimum rariſſimum que. Fallor, an aliqua quoque partium ſtudia in illam innocentem quaeſtionem a Salmaſio aliis que tum admiſſa ſunt hodieque admittuntur: ne illa tanta Gallorum ac Batauorum lumina falſum tenuiſſe: ne hi contra, ſodalitatis ſuae inuidia apud pleros que minus probabiles, vidiſſe verum putarentur in re tali, in qua acutum cernere prae reliquis Bataui ſuperiore tempore ſunt exiſtimati. Adeo ne certare odiis liceat, vt in vetuſtis talibus ac ſepultis, ſincero legendorum monumentorum ſtudio eruendis, illae ſacrorum partes valeant? Nobis quidem ſit integrum, paucis iſta tetigiſſe, et Salmaſii dicta omnia ſigillatim non expendiſſe, praeſertim quando inter alia ibi egregie diſputata, praeter ea tamen, quae Scaliger minor in medium ante protulerat, noui ad hoc argumentum, et firmi adeo, nihil contulit. Eſſet nobis actum agendum in eleuandis eis, quae in promtu ſunt. Multorum enim in manibus Exercitationes Plinianae iure ac merito habentur. Eandem ob cauſſam vel Pitiſci, qui omnia ſuper murrinis, dum Salmaſii compilat ſcrinia, denuo miſcuit, vel aliorum recentiorum quorundam dicta poſuiſſe, nihil attinet. Illi enim agmine facto tantas Scaligerorum ac Salmaſii auctoritates, cauſſa non cognita, ſecure ſequuntur, ferme eadem, vbi de murrinis ſermo eſt, repetentes ita, vt etiam porcelana noſtra et Sinica, ſumto a veteribus vocabulo, murrina vulgo dicant. E multis, qui eius opinionis aeſtu ſe abripi paterentur, exeunte ſuperiore ſaeculo ex errore vtcunque emerſerunt vnus et alter admodum. In his ſunt, Ioh. Henr. Eggelingius, et Laurentius Begerus; quorum ille libro ſingulari

LXXXIII De partium quibuſdam ſtudiis in re tali non admittendis.

LXXXIIII Salmaſii aliorum que conſona ſuperioribus tradita verbo eleuata.

in Lex. Ant. verbo, *Vaſa Murrhina* p. 1035.

LXXXV. E turba eximendi, qui verum vtcunque viderunt,

Ioh. Henr. Eggeling.

Myfteria Cereris et Bacchi in Vafculo ex vno Onyche Sereniff. Dni Ferdinandi Ducis Brunfuic. Bremae 1682. quaternis.

Eggelingius, Begerus, Harduinus admodum.

gulari myfteria Cereris et Bacchi, in vafe gemmeo inuenta, cum illuftraret, e murrinis veterum id vas durauiffe contendit: ifte, in Thefauro Brandenburgico, vas aliud pictum dedit, atque in eo interpretando difputat, gemmam effe murram, non argillam, aut lapidem figlinae aptum, idque Brandeburgici mufei donum e murrinorum genere videri. Verum Eggelingius in titulo, et ferme initio operis, atque eius in fine, appellat ac defcribit onychem potius, quam murram, et de coloribus, vtut *venas* dicat *in eo mire ludentes*, et colores artificis folertia fcite in figna conuenire, certi atque expreffi nihil annotat, neque conuenientem murrae duritiem, quod oportuerat, ab illa gemmarum, diftinguit. Gemmam enim onychem cum onychitide, qui tener, et alabaftris, nifi fallor, propior, atque vnus murrae e genere propinquo maxime adfinis eft, ferme mifcuit, maiore ad fummam hiatu, quam pro ingenii modo, hanc difquifitionem exorfus. Begerus autem fic vas fuum defcripfit, vt non magis fubtiliter de venis et coloribus explicaret, fed illos fere cum onyche gemma communes habere, intellegi pateretur, non in luteo ac purpureo circumagentes fe maculas, quae vni murrae conuenirent, et minorem multo, quam gemmis reliquis, duritiem. Vtrumque adeo vas facile deprehendimus, quantumuis egregia raritate fpectandum, dici tamen onychinum aut achatinum potius debere, quam murrinum. Namque, vt facile demus, interdum onychina dici, quae ex onyche marmore vafa: ita in vniuerfum negare, onychina facta fuiffe, atque extare hodieque ex onyche gemma, quod facit Salmafius, non aufim. Atque illius fententiam fane confutat vfus, qui non modo infpiciendas praebet onyches *Camei* dictas, quas onychum effe e genere rurfus gratis negat Salmafius, atque eas veterum fententia, manifefto que charactere, emendatiffimas, et fignis veterum afperas, vola manus expanfae aliquanto maiores: verum et vafcula onychina plane gemmea. Id cum fentiremus, infra verfibus vtcunque noftris *onychem fcalptam*, non fcalptum, vna cum murrinis et cryftallinis celebrauimus. Atque illud quidem, quod guttum dicit Eggelingius, parui ferme canthari, aut vrceoli miniftratorii rationem et figuram, ex veterum ingenio obtinet: iftud a Begero editum, tale eft prope, quale alabaftrum vnguentis feruandis aptum appellare vulgo veteres folebant, in elenchi vel pyri formam, vt defcribit alabaftra Plinius, faftigiatum. Iam nihil attinet fcire, inter recentiores fcriptores Harduinum quoque

Thef. Br. Vol. III, p. 186. 187.

LXXXVI Eorum tamen in rem praefentem deducta quaeftione error.

p. 6, 7.

pag. 47.

LXXXVII Onychina funt, aut Achatina, quae duo adhuc murrinorum nomine edita fuerunt.

Exerc. Plin. pag. 396.

LXXXVIII Harduini obiectamentio.

D 2

quoque hanc partem ſententiae de murrinis, quae vera eſt, in annotationibus ad Plinium defendiſſe: quando haec omnia non eo valuerunt, quo minus hodie docti quoque viri in ea re vulgo errent. Sinica enim porcelana, et murrina, tanquam praeiudicata quaeſtione, et vt ſi in re certa verſarentur, eodem plane ordine et loco, quam quae ſunt ſimili natura et artificio creta, miſtis quoque inter ſe vocabulis, habent. Hanc ob cauſſam fuit certe operae pretium, ad eximendum ex animis peruulgatum errorem, denuo egiſſe de murrinis, etiamſi contigiſſet, vt ea quaeſtio ſatis pro dignitate ſubtiliterque haberetur antea tractata. Verum, vbi Guiberti et Gretſeri diligentia nondum ſatis eſſe præſtitum his, quae dici in contrariam partem poſſunt, intelleximus: eamque cauſſam poſtea, centum ferme et quinquaginta annis, poſtliminio erroris occupatam iacuiſſe et corruptam: tanto lubentius erat nobis haec aſſertio permittenda, quanto eſt verius, atque honeſtius, antiqua, obſcura, ac diu ignorata interpretari. Recte autem nunc demum, quae et qualia ſint murrina, non conuellendis argumentis ſtabiliuiſſe mihi videor, quando nullo pacto opinionem aliquam, et ſententiam diuinando repertam, ſed veriſſimos Plinii aliorumque veterum ſenſus, verba eorum cum cura ponderando, propoſui, atque in rem velut praeſentem deduxi. Itaque non tam ego, quam conſentiens potius veterum fides, me vtcunque interprete, ſero cognita, conuellit atque euertit opinionem a Cardano, Scaligeris, Salmaſio, aliisque a viris ſane doctis, operoſius quam conſultius defenſam. Scilicet, vt iam nunc rem omnem breuiter comprehendam, veterum vincit auctoritas, vt credamus, murrina e lapide murra, vt onychina aut alia gemmea, aut alabaſtra, e ſuo quaeque metallo, harenis, celte ac torno excauata elaborataque fuiſſe: fictilia non fuiſſe: neque adeo cum Sinicis vllo pacto comparanda. Si quem turbet Propertii elegus; aut murrea et murrina differre: aut poetam talia non praeſtare: aut vulgi opinione, raris tum id genus vaſis, abreptum, niſi deceptum, aut aliter explicandum eſſe: in ſumma, nihil auctoritate eius aduerſus Plinium effici. Contra aliquam eius aſſertionis partem nouo argumento adhuc pugnant viri docti, vrgentque, Sinica ac Miſnica noſtra longe perfectiora eſſe reliquis, quae ex argilla fiant, fictilibus, ac velut mediae inter illa et vitrum naturae. Vel propterea veteres porcelana vera cum reliquis fictilibus non miſcuiſſe, ſed alio & nouo

Margin notes (right): Li. 33, cap. 1, Li. 37, cap. 2.

Margin notes (left):

LXXXVIIII Perſpicua ex illis diſquiſitionis noſtrae vtilitas:

LXXXX quo pacto conſtituta.

LXXXXI Totius quaeſtionis vera comprehenſio.

LXXXXII Praeſcriptio de porcelanis, num fictilia ſint dicenda.

nouo nomine murrina videri dixiſſe. At nos facile damus, non fictilium modo genere reliquo, ſed vitris quoque omnibus, perfectiora meliora que eſſe porcelana. Ceterum, quia maximam partem ſubſtantiae trahunt ex vitri natura atque artificio, operis que cauſſa plane ſunt fictilia, quia fingi ea neceſſe eſt, fieri ſane nullo pacto potuit, vt delata in manus veterum, qualia eſſent, ne agnoſcerentur, et communi, ſiue fictilium, ſiue vitrorum vocabulo, ne dicerentur: ſed, vt potius vtris que, tanquam diuerſa, quod factum eſſe ſupra vidimus, opponerentur.

LXXXXIII Fuit murra vera, non fictilis, quia et falſa fictilis.

Porro, cum praeter Obſidiana vitra alicuius murrae quoque, quae ad imitationem verae arte fieret, in veterum monumentis extet mentio: in procliui eſt ſine vllo dubio, fuiſſe ideo quoque murram, quae vitrum non eſſet, neque arte fieret.

LXXXXIIII Murrina vnde ſint dicta, opiniones variae.

Iam vocabula murrae ac murrinorum, quaeri a multis, quam originem habeant, ſolet. E myrrhae arboris lacrima qui putauerunt eà pocula confecta fuiſſe, inde videlicet nomen deduxerunt. Eodem reſpexerunt, qui opinati ſunt, fieri potuiſſe, vt fictilia odore myrrhae per argillam ſubactae infecta murrina dicerentur. A ſapore velut vnguenti, quem Martialis in eis quodammodo laudauiſſe viſus eſt, *myrina* dici potuiſſe, cum hanc lectionem defendant veteres libri, qui crederent, fuerunt. Fuit fortaſſis, qui a maculis *murenae* piſcis murrina putaret dicta eſſe, vt Bayſio memorante Ianus Laſcaris, et aſſenſus ei Stuckius. Alii a colore gemmae, quae myrrham lacrimam imitaretur, murrea et murrina, vt cerea et flauentia pocula, dicta fuiſſe crediderunt. Sed hi quidem omnes eo nomine non ſunt audiendi.

de Vaſc. p. 270. Ant. Conu. III, 12. vt Brocuſius ſup. num. 10, p. 3. ſ. num., 10.

LXXXXV Non dicuntur a colore myrrhae.

Nam quod ad colorem myrrhae, vt alia, de quibus ſupra egimus, iam nunc miſſa faciamus, ea, niſi fallor, non flauet laudatiſſima, ſed improbatur quae eſt picei coloris. Flauet autem pix ex arbore deſtillans, vt omne reſinae vulgaris genus. Igitur vera myrrha alio colore noſcenda eſt, Dioſcoridis aliorum que indicio. Ob eam cauſſam *murreus onyx* apud Propertium non a myrrhae colore, quo neque ipſe emendatiſſimus onyx, ſiue, ſi malis, alabaſtrites conſpiciendus eſt, ſed a *murra* onychi, qua texturam potius, ſi hoc vocabulo deſcribi debet tenerioris lapidis natura, quam qua colorem, reſpondente. Rem enim qui oculis ſubiiciunt, nullo negotio vident, quidquid contra dicat plurimis inſtructus litteris Salmaſius, non omni modo flauere antiquiſſima alabaſtritis, quae in muſeis ſpectanda exhibentur, fruſta: ſed pallere potius, quod erat in

in Exerc. Plin. vbi de Sardonyche.

in murra vitium. Et melleus color, quem in alabaſtrite laudat Plinius, ſi recentis, vt conuenit, mellis eſt, pallori propior, quam flavo. Non igitur poterant cum ceris et ſuccinis plane componi et comparari alabaſtra, atque ex onychitide vaſa: murrina, vt equidem opinor, poſſunt. Neque eſt propterea reprehendendus Apuleius, *Mileſiar. Li. II.* pag. 123. ſec. ed. Elmenhorſtii. qui ſuccinum dixit, cum intellegeret murram. Poſſunt etiam, vt flauentia ſaxa alia, tanquam in argumento proprio, paucis perſequamur, cereae dici Numidicae cruſtae, quae et Nomadum ſaxa poetis quidem: poteſt Thaſium item aliquo pacto marmor. Scio aliter tradidiſſe nuper virum doctum in egregio de marmoribus antiquis opere, et in albentibus ſaxis Thaſium habuiſſe. Verum nobis haec de marmoribus veterum argumenta ante non paucos annos diſtinguentibus, aliqua aliter ſunt reperta ſat graues ob cauſſas. Et Thaſium quidem marmor Plinius inter maculoſa aperte numerauit: non eſt igitur album. Seneca Numidicas cruſtas cum dixiſſet, Thaſium eis cruſtis iungit ob aliquam ſine dubio adfinitatem, ſiue coloris flaui, ſiue quod pictum eſſet et varium: ad cruſtas enim veteres marmora picta et varia potius ſecabant, quam alba. Quod ſi vno in loco haec duo marmora iungi ſolebant, erant inter ſe ſimilia, et fuiſſe propterea Thaſium in flauentibus, credibile eſt. *Rarum* id olim *in aliquo ſpectaculum templo* Seneca idem dicit. At albentia marmora, quae Italia quoque daret, nec magnopere ſpectanda, neque vnquam rara. Signa tamen ex eo facta Plinius dicit, quod conuenit albentibus ſaxis ferme ſolis. Nimirum adnotauit id Plinius, vt rarum, veluti id in Lesbio quoque, quamuis maculoſo, et in Porphyrite, tentatum a quibuſdam, ſed improbabili auſu, ſcimus. Iam vero flaua marmora non plane abludunt a colore corporis humani. Haec licuerit diſputaſſe, quia illa ſaxa murrae quodammodo adfinia fuerunt, quae flaua habenda eſt, non eo aureo flauo ſaturata, quo Numidicum interdum inuenitur, (*il marmo giallo antico*) ſed nec eo pallore dilutior, quo alabaſtrites plerumque habetur: non tantum lucis tranſmittens, quantum ſaepe alabaſtrites, ſed non ſic opaca, vt Numidicum aut Iaſpis. Mediae igitur, niſi fallor, fuit inter vtrosque naturae: ſed eadem coloribus macularum, et quodam ſuo ingenio, his non modo ſaxis omnibus, verum etiam gemmis multis ſuperior. Sed marmorum gemmarumque colores vtcunque nuper in alio opere ſum interpretatus: de murrae vocabulo in prae-

Margin notes:

LXXXXVI De alabaſtrite ac de marmoribus flauis obiter.

LXXXXVII Thaſium, ſi album fuerit.

Li. 36, cap. 6.

epiſt. 56.

LXXXXVIII Murra inter ſaxa flauentia

Muſ. Foſſ. Richt. vbi de Marm.

praesenti agamus. Id vnde ortum sit quaerentibus denique, vt non explorate vera, sed aliquo tamen pacto verisimilia, atque vnde aliquis in veram fortasse originis eruendae deuenire viam possit, respondeamus: quae sequuntur, non abiicienda esse opinamur. Apud Pomponium Melam *Murrani* in Asia populus legitur constanti veterum librorum fide, pro quo vocabulo Isaacus Vossius e coniectura ac licenter rescripsit, *Mariandyni*, quod recentia ab eo tempore inuasit exempla. LXXXXVIIII Aliqua vtcunque super origine vocabuli *murrinorum* diuinatio.

Li. I, c. 2.

Quid si a *Murranis*, aut *Murianis*, murrina et murrea ideo dici coeperunt, quod ab eis ad alios per commercia primum haec vasa peruenerunt? Non, quod ibi fierent: sed quod inter eos primum cognita, peti inde potissimum crederentur: quemadmodum *les jambons de Mayence*, Westphalorum penus; *les porcelaines de la Hollande et celles de Dresde*, quae Sinica ac Misnica verius debebant; et multa alia ad hunc modum. C *Murrani* vel *Muriani* populus.

Quid si ab vrbe Myrina *myrea*, sic enim subinde scripta in veteribus membranis inuenias, mox *murrea*? Nam certe ab re non abludit, quod in omnibus eius vrbis numis vas adiectum, et veluti cantharus aliquis, spectandus exhibetur. Antonius Bulifonius marmoris antiqui Puteolis reperti non contemnendas edidit ex aerea tabella expressas lineas, in quibus vrbis Myrinae simulacrum manu sinistra tenet vas capreoli capite insignitum, trullae vel cymbii specie. At trullae ex murra prae reliquis pretiosissimae memorantur. Verum has super vocabulo fortasse nugas perfunctorie, neque multis verbis scribendas, eorum que studiis dandas putaui, qui in talibus, quantumuis incertis ac saepe vanis, nonnihil operae collocandum esse existimant. CI Vrbs *Myrina* vasis semper imagine designata.

ap. Golz. in Graec. tab. XIIII, p. 242. Laur. Beger. Thes. Brand. Vol. I. p. 493. Neapoli a. 1694. hoc titulo, *Ragionamento intorno d'un antico marmo, discouerto nella città di Pozzuolo*, cet.

Maiore nimirum cum emolumento quaeremus, si rerum antiquarum hoc naufragium, e tot millibus murrinorum, quae omnia cupide olim per omnem orbem Romanum emta, auro contra cara non essent, atque ideo studiosissime seruarentur, si hoc inquam naufragium, vasa pauca, quemadmodum aliae vetustatis reliquiae, non euaserint, hodie que in museis spectanda? CII Si adhuc supersint murrina, quaesitum.

Tum si extet aliquid eiusmodi, quare a viris doctis, secundum Plinii descriptionem, non sit agnitum, et vocabulis murrae ac murrini insignitum? Solet enim fieri, vt rara veteris aeui monumenta facilius hodie appareant, quam cotidiana illis. Illa certe intentiore cura per manus velut fortunae maioris tradita, atque in direptionibus quo que pretii caussa agnita, seruata, seposita fuerunt. Ista per neglegentiam et contemtum ferme abiecta sunt, protrita, et mox vetustate consumta. Magis au- CIII Credibile est, esse, sed non agnosci: quia rara olim et cara, qualia facilius apparent.

autem admiratione speciei non antea visae ea deliguntur, custodiuntur que, quorum hodie inueniendorum via omnis et ratio periit. Quae sane raritas gemmis veterum et marmoribus multis, et murrae praesertim, contigit. Dilapsis enim olim ac deletis per grauissimos bellorum casus totis gentibus, quae metalla veterum et lapicidinas exercuerant in illis Graeciae atque Orientis locis, quae hodie aut raro, aut nunquam adeuntur: cum vix nomina, nedum commercia, earum rerum extent: in isto munditiarum vel contemtu, vel ignoratione: in ista seruitute totius Orientis: in paupertate ac squalore Occidentis per tot ac tanta bella inuectis: quis ea olim, ante proauorum nostrorum tempora, vel quaereret, vel quis agnosceret inuenta? In raris adeo litteris, his tristissimis imperiorum, morum, sacrorum vicibus, vniuerso paene veterum orbe tanto tempore sub terris exaggeratis sepulto, non id est mirandum, quod interierunt pleraque magnitudinis Romanae vestigia: sed mirum est potius, quod aliqua supersunt. Affluentiae incredibilis et copiarum hoc argumentum est: quae e terra casu eruta supersunt, signa, vasa, numi veteres ac gemmae; quae deinde tot insidiantes fabrorum manus, et superiorum temporum inscientiam, ruditatem, contemtum effugerunt: eorum tantum esse, vt tot per omnem Europam musea eis instrui pulcre copiose que possent. In his igitur, cum tot spectentur veterum gemmea alia, tum vitra et fictilia: si vnum aut pauca murrina extent, quaeritur. Ego vero non negem extare: sed agnita adhuc non fuisse, museorum descriptiones probant: rara esse, nos quidem vsus docuit, si quem rebus in talibus habemus. Eadem quo que ratio aduersus Scaligeri sententiam demonstrat, veteres vix habuisse, aut, si haberent, in pretio aliquo et auctoritate non putauisse, Sinica et porcelana vera: quod talia vasa pro veterum ingenio facta, aut eorum temporum notis signata, non apparent, neque libris eorum describuntur. Quae Eggelingius et Begerus murrina dixerunt, quanquam pretio aequare illorum naturam aut vincere longe hodie posse, facile concedamus, hoc tamen nomine appellari per ea, quae supra sunt animaduersa, non poterunt. Ad finem properat haec disquisitio. Liceat igitur paucis addidisse, ad confirmandam sententiam de murra meam, eam que sine dubio veram, in manibus versari his studiis atque huic qualicunque museo concessa ab amico, qui ipse instructissimi musei intellegens merito suo possessor claret, parua quaedam vascula, ony-

CIIII Cur multarum rerum veterum vestigia intereant, caussae eduntur.

CV Non id mirum, interiisse pleraque, sed hoc potius, nonnulla superesse.

CVI In museis vtcunque quaerenda.

CVII Nascitur inde nouum in opinionem Cardani telum.

CVIII Nominetenus murrina ediderunt Eggelingius ac Begerus.

supra num. 85, 86, 87

CVIIII Nostris studiis repraesentata vasa vtcunque talia.

onychitidis certe aut alabaſtritae genus; quae, ſi non emendatiſſima e murra perfecta, neque aliquo magnitudinis miraculo ſpectanda, eorum tamen omnium, quae Plinius tradidit, argumentorum congruente ratione, murrina haberi appellari que, vt equidem opinor, poſſunt. Vrceolus miniſtratorius cum colo niuario, ſiue, ſi mauelis, quoddam parui canthari inſtar eſt: dein cyathus in coli ingenium atque vſum formatus, cum ſinu ſuppoſito, qui vinum, aut caldam, aut alium potum, exciperet: omnia torno docte ſcite que effigiata. Lapidis eſt, vt dixi, genus, marmore quouis gratius, purius, tenerius; non enim limae modo dentibus, ſed etiam ſcalpelli acie, poteſt vulnerari. Alabaſtritis ad naturam proxime accedit, quanquam colorum et macularum pulcritudine et gratia non eum modo, quantum ego alabaſtrorum vidi, vincat, ſed achatem quoque et onycha in gemmis, quae ſic ſuccini modo cereae, ſic minio ac purpura maculatae, nuſquam, quod memini, inueniuntur. Habet hoc cum eo commune, quem Dendrachatem appellant, vt velut arbuſculis furui coloris pingatur. Cornea ei natura, paullo minus pellucida, quam ſunt ſuccina, ad quorum colorem grata et mellea quadam flauitie accedit, emendatiſſimis aequandus ac rubentibus in flauo pomis, quales a Borisdorpio, agri ſiue Lipſici, ſiue, quod Albinus tradit, prope Miſnam vrbem vico, celebrantur. Apparent, niſi fallor, in eo, quas Plinius in purpuram candorem que circumagentes ſe maculas dicit, et tertius ex vtroque igneſcens color, in ſinus noſtri medio obſeruandus. Deinde quoque his coloribus lapidis, huic pulcro eius laeuori, ſine dubio conuenit a Plinio dictus ſplendor ſine viribus, nitor que verius, quam ſplendor. Minus enim mihi quidem ſplendere videtur, quam gemmae omnes: nitere autem magis, quam fere marmora pleraque, aut reliquus alabaſtrites. Extremitates, quas Plinius dicit, et colorum repercuſſus, quales in caeleſti arcu ſpectantur, aut nos obtuſiores non intellegimus: aut perfectioris ſunt murrae: huius noſtrae non ſunt. Pingues potius adſunt maculae: translucere quidquam, aut pallere, ne in his quidem vaſculis videmus. Nam translucere dictum fuiſſe putamus, de plane perſpicuis, et vitri modo interlucentibus maculis, quod aliis quoque in ſaxis contingit, et eſt ſane vitium. Hic autem lapis, ſic tenuiter excauatus, obſcuriore atque olei ferme modo, qua eſt perfectior, quodammodo translucet, vt alia alabaſtra puriora, vt porcelana

CX Quae ſigillatim ſimpliciter que deſcribuntur.

CXI Lapidis natura, colores, maculae, perſpicuitas media, ſiue cornea.

CXII Alia e Plinio ſigna cum huius alabaſtritis ingenio comparata.

CXIII Aliqua non apparere.

CXIIII Super pellucido difficultas expedita.

ac super odore.

lana quoque deductiora. De odore non liquet. Attamen vrceolus, ac sinus, quem diximus, vtcunque aliquem gratum habere odorem videntur: lapidis ne natura, an aliunde arcessitum, in hac monumentorum vetustate, ex hoc vno rei incertae exemplo, affirmare non ausim.

CXV Caldae vinoque ardenti conuenire hunc lapidem experimento repertum,

Vino ardenti cyathum expertus, e Martialis quidem disciplina, cum contra conferrem vinum idem in porcelanis exceptum, mitius aliquo pacto et sapidius id in cyatho mihi visum est. Conuenit igitur ministerio suo vrceolus, siue calda praebenda erat, seu niuibus egelida. Ceterum sic affudi caldam, vt ne tractarem aspere, quemadmodum audaces porcelanorum calices solemus. Metui enim, ne nimio aestu aut frigore alternante plane feriretur lapis, qui tanto tempore, tot casibus, aliquot rimas olim egit. (Li. XIIII. ep. 113.)

CXVI Coli parui ingenium.

Cyathus, quanquam praestet coli vsum, tamen adeo subtiliter torno factus est, vt insertus in sinum suum nihil patiatur liquoris infusi descendere, cum aer inclusus, qua exeat non habens, pendentem in peruio liquorem sustineat.

CXVII De pondere quaesitum.

Murras graues, nisi propter magnitudinem raritatem que ingentium murrinorum, quibus Imperatori ministrabatur, secundum naturam lapidis non videtur dixisse Statius. Non est graue hoc genus: quemadmodum nec alia alabastra, praesertim ea, quae pellucida sunt aliquo pacto. Vrceolus noster, pro ea breuitate, quae in lineis ex aerea tabella expressis spectatur, et cum deducte subtiliter que torno sit factus, vix vsquam denarii aut minuti cultri lamellam crustae tenuitate aequaturus, grauis esse sane non potest: sed tamen exspectatione leuior inuenitur. Nam que appendit semissem et drachmam admodum vnam, vt videatur ad librae veteris dimidiatae rationem ferme exactus: Cyathus, sescunciam, ac drachmam: Sinus, item sescunciam cum sicilico.

CXVIII Voluminis mensurae,

Vrceolus in altitudinem adscendit ad bessem pedis antiqui, demto operculo. rursus, adiecto eo, paullo est altior decunce. Sinus altitudo, sine basi, sextanti eius pedis, quem B. Marlianus, Ge. Agricola, Ioh. Smetius alii que ediderunt, ad amussim respondet: si cyathus addatur ac basis, semissem implet. (Vrbis R. Topogr. Ro. 1544. p. 11. De pond. et mens. Basil. 1550. p. 216. in Ant. Neomag. p. 123.)

CXVIIII et capacitatis.

Cyathus, liquidorum apud veteres mensura, eadem deducta ratione, ad hunc nisi fallor alabastri vel murrae cyathum conformatur. Bis enim ac decies quidquid ceperit liquidi refusum, quo minus impleat sextarium Romanum, parum aberit. Equidem perfunctorie in sextario Lipsico, (dem Weinmaße einer Kanne) veteri Romano haud dubie maiore, expertus, id vtcunque conieci. Tum

pondus

Haec super ponderibus ac mensuris reperta, crassa Minerua, ne quid erres, ac perfunctorie subduximus. Scimus ac possumus meliora. Sed tanti non fuit in re parua. Tum haec quoque ad coniecturam faciendam suffectura sunt

pondus quoque exegi. Impletur autem hic quoque cyathus, vnciis aquae, quod volunt antiquarii, fere duabus, et, si paullum marginis ori in bibendo admouendum relinquas, minus duella ad illam rationem: vt nimirum inter mensurae liquidorum et ponderis vncias aliquam esse statuamus conuenientiam. Sinus ferme sextans est. Vrceolus trientem, id est, quatuor tales cyathos, plane recipit: vt prorsus congruat in illum Martialis versiculum,

Setinos, moneo, nostra niue frange trientes.

CXX
Quaedam in his parum certa.

Adeo frugaliter sobriis conuiuis, non potoribus, hoc, quidquid erat, paratum fuit. Cyathus fortassis glutine quodam videtur antea coniunctus fuisse cum sinu suo. Quod si verum est, iam vix coli in eo vsus fuerat, sed alius scilicet: vt verbi caussa calda aut frigida in sinum guttatim infunderetur, ac super ea potus, temperamentum eius accepturus, sed impermixtus, consisteret: siue, vt in medio vtrinque aere vinum ardens, vel calda, suspenderetur. Quibus luxuriae praeceptis, quaue conuiuali sapientia istud hoc pacto sit institutum, non est in procliui dicere.

CXXI
De tempore, et cuius populi fuerit, nihil definitum.

Neque magis definiam, quibus in moribus, quo tempore, quo in populo, haec qualiscunque tali facie supellex, locum habuerit: praesertim quando exemplum eius ad amussim conformatum in monumentis Graecorum Romanorumque vix adparet. Namque vrceoli quidem tales in veterum anaglyptis saepe spectantur, sed naso, non siphone, instructi. Tum canthari omnes, et ore patentiore, et duabus fere ansis sunt. Vnus Eggelingii non guttus, sed certe vrceolus, siphonem habet. Tum Nasonum e sepulcro picturae veteris lineae publicatae nympham exhibent, quae talem item cum siphone vrceolum gestat. Sinus hic noster exemplum aliud vix habet. Cyathus non est, qualem Begerus depictum dedit, aut Sponius: sed aliquanto verior, qualem nos subinde in monumentis obseruauimus: qualem Boldettus edidit: qualem dactyliothecae meae Amor Bacchi comes gestat cum cantharo nasuto. Verum non ideo, quia vocabulis veterum vrceolum celebramus et scyphum, et vel Plauti fide coniunctum cum his sinum, tum quia capacitas, ac modus, et ratio congruit, quibusdam signis ea non distant ab his, quae adhuc in rerum antiquarum commentariis sunt edita. Et quis omnes talis instrumenti formas publicatas fuisse credat.

Le pitture antiche del Sepolcro de Nasoni, in Roma 1680. tab. IIII. tab. XX.
Th. Br. Vol. III. p. 456.
Misc. Ant.

CXXII
Res tota iudicio eorum,

Quidquid est, peregrinum est: vetus est: ex alabastrite factum eius naturae, qualem Plinius in murra descripsisse videtur: siue ea sit,

quam

qui me acutius his in rebus vident, permissa.

CXXXIII Porcelanorum notitia atque auctoritas describitur,

re pictura non contemnenda.

quam in manibus habemus, murra, iure an iniuria dilecta Romanis: siue proximum saltem lapidis genus, e quo, quod emendatissimum nasceretur, eo nomine fortassis diceretur: quod inferius illo, communibus alabastri vel onychis vocabulis veniret. Iam nunc de Porcelanis ac Maioricis, quia ea supra aliquoties tetigimus, et quia de eis Scaliger sibi dicendum esse putauerat, paucis agemus. Illa quidem per commercia Lusitanorum a Seribus primum in Europam aduecta, eam prae reliquis omnibus fictilibus auctoritatem facile habuerunt, quam adhuc obtinent. Placuerunt enim quadam subtilitate et perfectione operis, figlinae que ingenio et vsu commodo, coloribus quoque et pictura adhibita. Ea vero, quanquam rudis ferme ac licenter enormis, illam veterum Aegyptiorum magnae artis compendiariam imitetur, parum veri ac rationis obseruans: suam tamen in quodam colorum consensu, ac leuissimo linearum ductu, gratiam habet ac venustatem, quam nostri homines in pingendis fictilibus non vbique assequuntur. Sed ista quidem leuia et parum spectata sunt.

Plautus Rud. V, 2, 32, *Sinus, epichysis, cantharus, gaulus, cyathus que*.

CXXIIII *Porcelana* vnde sint dicta, quaeritur.

Porcelanae, siue conchae primum, siue vasa, vnde traxerint nomen, atque vtrum vasa a conchis, an conchae, quae Veneriae quoque dici solent, a fictilium purissimorum simili pulcritudine, sint appellatae, non indignum, quod quaeratur, litterati homines putabunt. Equidem secundum alios suspicor, fictilia illa non ab herba *portulaca*, quae hoc item nomine venit, verum a concha, quae porcelana dicta sit, *porcelaine*, quod etiam secundum Bellonium Nicotus et Menagius, alii que obseruant, transisse, ob similitudinem nitoris et colorum, ad vasa verbum. Concham autem, quae non plane est murex, quod Bellonius putauit, item a pulcritudine, quae ei cum margaritarum splendore ferme communis est, dictam puto.

Singularitez p. 134. Dans son Thresor de la langue Franç. art. PORC. Le Orig. della Li. Ital.

CXXV *Porcelanae* conchae, quasi *perlanae*, a *perla*.

Scilicet a *perla*, *parle* et *perola*, quod Castellae est ac Lusitanorum vocabulum, *perlana*, mox *porlana*, et *porclana*, et frequenti in talibus aberratione, *porcelana*, quasi margaritis adfinia, appellata fuisse. Margaritarum autem elenchum *perola* illi, Galli, *poirette*, quasi *pyrulum*, a *poire* et *pera*, quae occidentis non vni populo *pyrum* significant, vt opinor, vocauerunt. Eadem ratione *pirula* quoque extremitas nasi, ab hac similitudine, Latino barbare quondam dicebatur: et non a *pila*, quasi *pilula*, in quo Aegid. Menagius, Octau. Ferrarius, Cangius, alii que doctissimi viri, quadam similitudine verborum, decepti fuerunt. Ista quidem vtcunque de vocabulo dicta

in Originibus et in Glossario.

sufficiant. Porcelanorum autem ipsorum non vnum est genus: e quibus, quae sunt inprimis pellucida, ac vitro purissimo emendatiora, maximo esse apud Sinas in pretio traduntur. Qualia certis testimoniis eorum, qui Indias adierunt, et qui Sinensis imperii descriptiones publicauerunt, satis affirmata, simul conficiendorum eorum ratio indicata, facile erroris conuincunt ea, quae Iulius Scaliger, aliique, de eorum fingendorum ratione scripserunt. Auctores nominatim excitare nihil attinet. Sunt enim multorum in manibus, et noti, et res hodie non obscura est. Inter primos tamen, qui veriora atque expressa magis super porcelanis traderent, fuit, nisi fallor, Ioh. Hugo Linscotanus, ac postea Rumphius. Sed ad illum quoque in adnotationibus Palludanus, parum abfuit, quin ad errores Cardani ac Scaligeri reuolueretur. Tanto autem magis licuerit ista, vt minora, praeteruehi, quanto certius intellegentium opinione habetur, Sinica omnia vinci hodie a Misnicis nostris, non operis modo subtilitate et picturae auctoritate, quae nostris prope legitima adhibetur, illis notha et compendiaria: sed materia quoque et coctura. Quod affirmantibus credere, cum facile in animum induceremus, versibus nostris, vt alia huius iustissimi imperii, et agri vrbium que ex vero saepe bona, ita hanc quoque rem, studiose olim celebrauimus: quos emendatos obiter atque ampliatos, eximere interim e maiore carmine, atque in fine huius disquisitionis, tanquam in loco conueniente, denuo publicare instituimus. Continent enim de murrinis, de porcelanis, atque de cognatis eorum munditiis, quaedam, nisi fallor, non protrita, quae his dictis aliquam commodant lucem, atque inde mutuam petunt. Maioricorum quoque operis, vt aliqui dicunt, Signini vasorum, quia rationem habuit Scaliger, indicandam esse originem puto. Hoc autem nomine dicta fuisse constat a Balearidum maiore, quae *Maiorica* vulgo, *Maiolica* Italis vasa, et *Minolica*, ab altera earum, *Minorica*. quemadmodum Fauentina fictilia, (*poterie de Fayence*) a Fauentia (vulgo, *Faenza*, *Fayence*) Italiae vrbe: quia in his insulis, et in hac vrbe, primae eorum fictilium officinae exercerentur. Eius rei auctorem praeter Scaligerum, qui voluerit, habebit Aegid. Menagium in Originibus linguae Italicae. Maiorica vero, aut Fauentina, cum Porcelanis materia, subtilitate operis, et coctura nequaquam sunt comparanda: neque enim in vitream aut gemmis adfinem testam, vel potius lapidem, tota massa transiit: sed sunt reliquis fictilibus

[Left margin notes:]
Itinerar. cap. 23, pag. 26, a. (29,a,b) D' Amboinsche Rariteit-Kamer L. III cap. 23, 24.

verbo, *Maiolica.*

[Right margin notes:]
CXXVI De porcelanis ipsis obiter.

CXXVII Res auctoribus suis relata,

CXXVIII et praesentibus officinis, quae huius agri ac principatus inter alias laus est,

versibus nostris celebrata.

CXXVIIII De Maioricis, qualia sint, atque vnde dicta.

CXXX Maiorica plurimum differre a porcelanis, aduersus Scaligerum ostenditur.

ctilibus ex argilla duratis coctis que propiora. Quamobrem non est in procliui dicere, quid sibi voluerit Iulius Scaliger, vbi primum appellat Maioricas insulas, et mox affirmat, inter porcelana et Maiorica vasa *difficile iudicatu esse, vtra vera, et vtra adulterina. Ita haec illis nec forma, nec specie, nec nitore cedere.* Nam simul atque quis vtrumque contulerit genus, istorum quaeuis emendatissima his omnibus notis, quam illa, esse videat minus probabilia, neque cuiquam in dignoscendo dari verba posse. Nihilominus tamen non vetustate tam sua, sic enim scite fingendorum et picturae in eis ratio fere interiit, quam erudito ac singulari linearum et colorum ingenio, adeo placent intellegentibus, vt Sinicis omnibus merito suo longissime praeferantur, et magno inter curiosos vaeneant. Scilicet depromtas e sacris litteris, atque ex historia fabulari, rerum antiquarum species, et velut maioris picturae conatus, antiquae artis quendam genium spirantes, habent. Antiqua illa in his docte eleganter que, suis armis ac vestimentis, adumbrata, ac litterata interdum Latinis Graecis que titulis, argumentorum indicio, et anno adiecto, placent. Intellegas inde, saeculo ferme XVI. post C. N. ineunte haec fictilia facta fuisse, et praeter colorum quandam gratiam et consensum, (veros enim colores in igne, atque in opere fictili ac testaceo, exigat nemo) linearum praesertim scitam subtilitatem in illis aestimes. Eorum vt elegantiae caussa diuersis in locis aliqua adseruantur, velut Salisdalii honesta, ac Dresdae praesertim, pro reliqua magnitudine eruditoque apparatu, in instrumento regio ingens copia: ita hac in vrbe parum est. Sed verbi caussa in manibus est orbis maioris patera, non pro illis insanis cupidorum pretiis, sed carius tamen, quam vas fictile par est, redemta. Ibi ingentis fluuii per campos amoenos in ripa, quam Nili esse intellegas, iam sibi reddita ex vacca Io, renascentis formae decore conspicienda, tunica que et pallio, antiquo more, vtcunque vestita, in genua procumbit, Ioui que, qui in nubibus comite aquila apparet, pro restituta specie ac mente gratias agit, simul auxilium eius ad res futuras implorat. Ante eam veluti dux incedit cum lampade Hymenaeus: pone tergum obseruat eam, et ex gestu nouos machinari in caput formosae puellae dolos Amor videtur. Haec ideo pluribus fortasse, quam pro re, verbis dixi, vt appareret, quam ingeniose haec et docte, a peritis fabularis historiae pictoribus, sint tractata. In auersa paterae parte, verba

Exercitat. adu. Cardanum.

CXXXI Eorum tamen auctoritas et pretia:

CXXXII tum tempora, quibus fiebant.

Eorum admodum vnum,

verba Hetruſce ab eadem manu addita, *Gioue diſcende in terra*, Fauentiae eam fictam, non in vna Balearidum, arguunt. In alia porro parua eorum patella, Venus Pandemos licenter, ſed ingenioſe tamen, depicta, trigis non olorum, ſed anſerum, in curru humili vehitur. Cupidines prope eam duo, non caeleſtes illi, ſed nebulones: liceat enim ad ſpeciem nouam noua inuenire nomina. Eorum alter tanquam timidus fugit: alter nubes ac nebulas colligit, in quibus abſcondatur, meticuloſo vultu notandus. Talia ingenii nonnihil et litterarum ſpirantia, ſi otioſus aliquis, atque idem intellegens homo, e Maioricis annotata congerat, et lineis vtcunque exſcripta publici iuris faciat, neque inutilem, et illi ſaeculo vrbique Fauentiae honorificam, ſit operam praeſtiturus. His interdum lineis, adeo lepidis atque eruditis, accedunt colores viui, et quibuſdam in corporibus prope veri: pulcherrima arborum viriditas, et mira aëris, caeruleo ſuo imminentis, gratia. Attamen figlinae perfectione ea omnia longiſſime abſunt a Sinicis, nedum a Miſnicis noſtris: maſſae quoque cauſſa plane terrea, vt reliqua teſtacea viliora. Erat igitur cauſſa, cur in verſibus dicerem, *leuia vaſa*, *ſed vili e luto ficta*. Hanc teſtam Fauentini albente quadam velut calce videntur incruſtasſe, quam ex ouorum putaminibus fieri ſueuiſſe, facile inducor, vt credam. Huic tectorio colores induxerunt, et coloribus vitrum. Iſtud, quidquid eſt tectorii, attritu vaſorum ad oras orbium frequenter diſſilit, ac nudat argillam duratam, quae ſubeſt. Sed non abludentes in his lineae ab ea picturae ratione, quam reſtituiſſe ex antiquis operibus Sanctius Vrbinas primus putatur, effecerunt, vt is earum auctor peruulgata opinione haberetur: non etiam Titianus Vecellius, quod traditur in Naudaeanis. Verum iſtud vulgo creditum, neque congruit ſatis cum rebus ac temporibus illius, neque credibile eſt, tacituros fuiſſe, qui ipſius vitam, aut Fauentiam vrbem, deſcripſerunt. Nam neque verbo Vaſarius memorauit, aut Sanctium tradidit vnquam Fauentiae fuiſſe, et Leandri Alberti in opere copioſa eorum fictilium extat mentio, Sanctii in eis occupati nulla. Verum idem honorifico ei elogio parentare non omiſit, cum Vrbinum vrbem laudaret: neque erat in Fauentinis eius laudi id non daturus, ſi quidquam de eo fictilium honore habuiſſet compertum. Nos tamen verſibus noſtris, et lineas eorum vaſorum celebrauimus, et pro natura poeſeos, rumori vtcunque vano locum aliquem conceſſimus,

atque alterum, deſcribuntur.

Reliqua eorum bona,

aut vitia.

CXXXIII
De Raphaele Sanctio vulgata opinio eleuatur.

ed. Amſt. 1703, pag. 100.

pag. 310 b, vbi de Faventia. *Sono in eſſa molti nobili artefici di vaſi di terra cotta, che tanto arti-*

mus, quando Sanctium Italicae graphices honore dignatum esse haec fictilia, quemadmodum acceperamus, tradidimus. Super pretiis murrinorum et porcelanorum, quia illorum magna olim fuisse constat, istorum suo tempore patientiam et fidem excessisse Scaliger tradidit maior, videbimus, si vel ea parte quidquam inter vtrumque genus satis conspiret. Leuia sunt ista, incerta ac mutabilia, et casu ferme ex necessitate, aut vsu, aut libidine pendentia. Quicunque dixit, rerum non necessariarum pretia alium modum et rationem non habere, nisi stultitiam ementium, verissime videtur dixisse. Quamobrem, si hodie aut murrae lapis inueniretur, aut murrinum, non vile modo futurum esset, sed pretium non haberet: quia cum vsu auctoritas interiit. Alabastris non vtimur, quia neque vnguentis: et vina sat bona videntur in vitreo calice: calda in Missnicis. Gemmea museis relicta, mensas raro adeunt. Lapidea ex quodam ophitae notho genere in his terris sat scite fieri solita, adeo sunt neglecta et vilia, vt vix pauperis tabernae, ac thermopolii rustici, habeantur instrumenta. Aliorum igitur morum ac temporum insaniam aestimabimus, ac de antiquis primo dicemus. Magno semper murrina, vt pulcra, et luxuriae apta, et rara; sed sine vllo dubio multo maiore pretio emebantur Tiberio et Nerone principibus, quam Elagabalo. Posteaquam gliscente luxu et cupiditate cresceret mercatorum, qui eorum copiam praeberent, numerus, diminuta sunt ex ipso apparatu, iam parabilium, vt fit, auctoritas et pretia. Ita parua fortassis murrina, si alioqui emendatissima essent, aureis nequaquam viliora: minus emendata, minus extremitatibus pictis, et pleno purpurae colore non conspicienda, aut pallentia, aut maculis pellucidis vitiata, modico fortassis pretio parabantur. Sed quae perfectissima coloribus et maculis, et magna praeterea erant, vt non cyathos, sed sextarios caperent, ea his insanis pretiis constiterunt, quae miraculi caussa Plinius adnotauit. Talia fundorum pretiis indicata fuisse, consentiens veterum fides persuadet. Id cum videret Harduinus, singula in Plinio sestertia talentis commutauit, quater et vigesies multiplicante pretio, toties enim inest, ex mea quidem ratione, in talento sestertium. Si tantum ille membranarum et rationis habuerit, quantum tot libris ante eum vulgatis, qui diuersam lectionem constantissime tuentur, opponere auderet, id equidem iam nunc non exquiro. Verum tamen illam e talentis Harduini computationem omnia fundo-

CXXXIIII De pretiis murrinorum, et Sinicorum.

CXXXV Murrina olim magno, sed non indiscrete.

CXXXVI Harduini in augendis pretiis industria, an sit admittenda.

ficiosamente gli formano, & pingono con diversi colori, & figure, che tengono il primato sopra tutti gli altri vasi di terra cotta d'Italia, cet.

fundorum, qualia illis temporibus fuerunt, excedere pretia aio: alteram vulgatam per festertium, minora pretia, quam pro expectatione, conficere largior. Videat aliquis Harduino modestior, si in illis Plinii dictis legere mauelit, pro *trecentis sestertiis*, *tricies sestertium*, mox pro *octoginta sestertiis*, *octingentis HS*, quo pacto summa illa minor decuplo cresceret: et ista quidem erat nostra qualiscunque diuinatio. Vt autem rerum antiquarum imperiti quoque nonnihil in his pretiis videant: octoginta Harduini talenta conficiunt Ioachimicorum hodie nostrorum, qui constant XXIIII. sestertiis numis hodiernis i.e. grossis Misnicis, millia LXXX: trecenta talenta, millia CCC. Nostra ratio, in *octingentis HS*, concedit Ioachimicorum millia XXXII, aut, vt vulgo computant, millia XX: in *tricies sestertio*, millia CXX: vt vulgo, millia LXXV. Plinii vulgata exempla, cum decumas e totis, pro nostra aestimatione, pretiorum summis faciant, vix videntur aliquid eorum temporum, et praesertim Neronis, dignum insania edidisse. Nostrae rationis ab ea, quae vulgo traditur, diuersae, hanc habeto paucis, vt in argumento alieno, caussam. In talento Attico insunt drachmae IↃↃCIↃ: drachma talis argenti hodieque est sestertiorum, quos grossos vocant, IIII; sestertius assium IIII: sex drachmae, aut tales sestertii XXIIII, computantur in Ioachimicum, (Reichsthaler) qualis in rationibus conficiendis intellegitur. Igitur in talento insunt Ioachimici CIↃ. Deinde sestertius male computatur, nisi in grossum nostrum. Insunt enim in denario, quae fere drachma, sestertii IIII, asses XVI. His non subtiliter exactis, sed ad vsum satis commode, quod ad libros intellegendos est ferme optimum, illa ratio facile expeditur. Atque ista de quorundam murrinorum pretiis.

CXXXVII De summarum veterum computatione pingui Minerua atque obiter.

Iam his quid habent simile porcelana? Quis vnquam fundi pretio, aut aurei vasis, pateram eorum aut catinum emit? Deinde, quod inest in re, separandum est a vetustatis, ac raritatis, poculi fortassis vnici, auctoramento, atque a magnitudinis miraculo, et denique a manipretio. Potest vitreus quoque calix antiquitate aut manibus artificum carus aestimari. Murrina sine manipretio, re et materia, cara erant: porcelana, nisi manus accesserint aut figuli melioris, aut pictoris, et auri lamellae, tantum non vilia sunt. Tamen Misnica nostra, quae fere vincunt pretiis, cum a plastices peritis hominibus subtilissime sunt ficta, et scitissimis imaginibus picta, argenteorum vasorum indicaturam admodum aequant, aut eam excedunt rarius:

CXXXVIII Porcelanorum pretia, qua maxima, multo tamen illis antiquis minora.

ad aureorum, quod sciam, non accedunt. Scio magnitudinis miraculo in immensum crescere interdum pretia. At istud non tam est porcelanorum, quam fictilium omnium, eaque olim talia ac tanta apud Romanos fiebant, vt possent a fictilibus superari murrina quoque. In illis certe, quae maxime expetuntur, et in vsu sunt porcelana, patientiam et fidem hodie non superat pretium. Videbimus, si maiora eis pretia Scaligeri tempore fuerint. In quodam libro Hetrusci scriptoris non boni, neque hoc loco nominandi, composito circiter annum a C. N. cIɔIɔXXX. aut ad summum L, incidere me olim memini in locum, qui satis ostenderet, iustam e Sinicis pateram, aut catinum, tum vix amplius constitisse aureo vno Hungarico. (*vn ducato*) Dedimus in ora huius paginae enotata verba ipsa testis non praeclari, sed talis tamen, qui ea ignorare non potuit, neque vllam mentiendi caussam habuit. Iunximus tamen ei Bellonium, auctorem aliquanto meliorem. Demus, duplo interdum, aut decuplo maioris, pateram constitisse talem. hoc pacto scilicet ad ea pretia perueniemus, quibus hodie quoque Sinica, emendatius facta et picta, aut Misnica, indicantur. Demus porro, carius multo apud Sinas et Indos veterum officinarum ea fictilia, scriptorum fide, venire olim. Demus tandem, eorum temporum hinc frugalitate, hinc rei pecuniariae inopia, magnum pretium paucos aureos fuisse. Quid haec omnia ad pretia murrinorum apud veteres? quam longe haec absunt ab illis? et quantilla ad summam, vt Scaligero memorante fidem, aut cupidorum hominum patientiam, excederent? Abunde de his dictum, vt ad propositum reuertamur, et, quam promisimus partem libri non magni, si tanti est, corollarii loco subnexam iam demus. Haec enim adhuc super murrinis veterum, maiore fortassis ad scriptores atque artes intellegendas vtilitate, quam tenuis argumenti specie, ac modicis ad summam doctrinae copiis, disputata, dubitationi omni eximendae opinor, esse suffectura.

Scriptor illaudatus Vol. II, p. 52, 53. *Vna scodella di porcellana, spezzata in tre parti -- sciagurata me, che ho rotto questa, che costò un ducato.*

Belon, Sing. p. 134, a, *Vne esguiere, ou un autre vaisseau, pour petite qu'elle soit, couste un ducat: si c'est quelque grand vase, il coustera davantage.*

Porcelanorum, quae Misna in vrbe emendatissima fiunt, celebratio, e Villatico depromta.

Gemmea vasa: argentum caelatum:

Non onychi scalptae murram et crystallina iungunt,
Nec tanti sitiens se gula nostra putat:
Mentora non nouit, nec adhuc intellegit artes
Graecula: sed cyatho dat bona vina rudi.

Curc-

Curemus priſcis aurum violare ſigillis?
Quis conuiua nimis pocula docta velit?
Non hic in gemmis vineta, hircique petulci:
Maenades hic nullae capripedesque viri.
Vix ſuper argento ductum diffundimus aurum,
Cui modica formas imprimit arte manus:
Vix concham aptamus pateris, auroque polimus:
Nam gerimus, velut hic, pura metalla magis;
Tum vitra attritu variis inſcripta figuris,
Pictaque mirificis Sinica vaſa notis.
His quoque nunc Miſna meliora petuntur ab vrbe.
Indorum didicit vincere Miſna focos.
Dic mihi, Muſa, virum. Quis in hac nouus arte Prometheus
Fingit hyperboreo gemmea ſigna luto?
Quae manus aetherios fornacibus alligat ignes,
Telluris caecas auſa ſubire vias?
Talia iure quidem mirere. at talia ſemper
Auſus es, imperiis Myſe beate bonis.
Auguſto nihil ingenti ſua Fata negabant;
Fata ſecundum auidas nere parata preces.
Nunc raptae ex oculis virtuti templa ſub axe
Sidereo placidus dat celebrare deus.
Hinc nitidus gnati miratur facta potentis,
Auſibus Herculeis aemula, at aequa tamen,
Aequa illi, qui, qua cingit mare, laudibus orbem
Dum luſtrat, populi nomen ad aſtra tulit.
Teſtae alias facies imitata Fauentia quondam,
Finxerat e vili vaſa polita luto:
Quae graphices Italae, vt perhibent, dignatus honore
Sanctius, aeterna contigit vſque manu.
Viua licet vero ſpirent ibi ſigna colore,
Lineaque eximiis ludat imaginibus,
Hic tamen vt melius doctae res pareat arti,
Vt rabido legem ſeruet in igne, vides:
Vt bibat impoſitas maſſa omnis terrea ceras,
Vtque dehinc durus prodeat vſta lapis?

gemmata:
ſignis aſpera:
inaurata et malleo ducta:
e nautilis fere facta:
vitra ſcripta et Sinica picta.
Miſnica:
auſpicio inuenta regio:
lapideſcentis naturae miraculum imitata.
Optimorum principum ex vero laus manſura.
De Maioricis ac de Raphaele Sanctio.
Vna illorum laus lineae, et colores:
in reliquis longe vincuntur a noſtris.
Pictura eorum:

et cocturae perfectio. Seruiunt caldae ex fabis Arabum decoctae.

Vsta refert formaeque decus, talemque nitorem,
Qualis candenti fulgeat ex onyche.
Instrumenta epulis implent medicamine succi,
Arida quem caldis inficit arbor aquis.
Digna premi Ambrosia potius, spumare Falerno,
Ac laetos Bacchi semper obire choros.

Agathoclis modestia.

Talia si coenae posuisse Agathoclea tendas,
Vt ferrent figulo se patre vasa satum;
Non fuit haec illi dicenda modesta supellex:
Sicaniae fuerat regia gaza domus.

Recensus auctoritatum de Murrinis ac Murreis.

PROPERTIVS duplici, vt supra, elego: semel, *Sit mensae ratio, noxque inter pocula currat, Et crocino nares murrheus vngat onyx:* ac rursus, *Seu quae palmiferae mittunt venalia Thebae, Murreaque in Parthis pocula cocta focis.* L. SENECA, *video istic crystallina, quorum accendit fragilitas pretium - - - video murrhina pocula. parum scilicet luxuria magno furit, nisi quod vomant capacibus gemmis inter se propinarent.* Calamo exarati libri, *pronunciarent*, quod non erat improbandum. *Capacibus*, ad magnitudinis auctoritatem et pretium. IDEM alio loco, *Hoc vnum iubet, sitim exstingui. Vtrum sit aureum poculum, an crystallinum, an murrheum, an Tiburtinus calix, an manus concaua, nihil refert.* LVCANVS, *Non auro murrhaque bibunt: sed gurgite puro Vita redit.* PLINIVS, *Murrhina et crystallina ex eadem terra effodimus, quibus pretium faceret ipsa fragilitas. Hoc argumentum opum, haec vera luxuriae gloria existimata est, habere, quod posset statim totum perire. Nec hoc fuit satis: turba gemmarum potamus.* IDEM deinde, vbi de fictilibus, *In sacris quidem etiam inter has opes hodie, non murrhinis crystallinisue, sed fictilibus prolibatur simpuuiis.* Ac denuo IDEM, *Quoniam eo peruenit luxuria, vt etiam fictilia pluris constent, quam murrhina.* Mox, vbi de vitris. *Fit et album, et murrhinum,* (subaudi, vitrum) *aut hyacinthos sapphirosque imitatum.* Tum copiosissime IDEM, inter gemmas memorando, *Eadem victoria primum in vrbem murrhina inuexit, primusque Pompeius sex pocula* (hui tam pauca e re tanta! duo millia sola eorum fuerunt, Appiano teste,

quae

Sic *murrea* hic extrito H, libri meliores.

Gruterus in Comment. edidit, *fuerat*, non *furit*, quod probo.

Calamo scripti, *murreum*.

al. *induxit*.

Li. III. Eleg 8, v.22. in aliis ex. est eleg. 9.

L. IIII. Eleg. 5, v.26. supra num. 9, ad 16.

De Benef. Li. VII. cap. 9.

epist. CXVIIII. s. n. 17. ad 19.

Li. IIII. v. 380. s. n. 20.

I Hist. Nat. Li. 33. cap. 1, sup. n. 21.22.

II. et III Li. 35, cap. 12. s. num. 23 ad 25.

IIII Li. 36, cap. 26.

f. n. 26. quae auro inserta murrina hac victoria caperentur. Harduinus loco,
V *sex pocula*, edidit, *lapides et pocula*, quod est vero propius, sed ta-
Li. 37, men frigidum. Nos ex illo Plinianum et genuinum restituimus,
cap. 2. *capides et pocula*. Capides, vt poculis maiores, et miraculo, et pre-
f. n. 27. ciis spectandas magis, primo collocauit, atque eadem quoque le-
ad 36. ctio restituenda est Paulo I. C. *capidibus, apsidibus argenteis*) *ex eo*
l. 32. pedi- *triumpho*, (qui tertius, M. Pisone M. Messala Coss. ab V. C. IↃCLXXXXII.)
culis π. de *Capitolino Ioui dicauit: quae protinus* (non ipsa Ioui reposita, sed f. *protenus.*
auro, arg. alia talia e Parthis arcessita) *ad hominum vsum transiere, abacis etiam*
mundo leg. *escariis que vasis inde* (e lapide murrae, non e templo, quod Harduinus intellexerat) *expetitis: excrescit que indies eius rei luxus, murrhino octoginta sestertiis emto, capaci plane ad sextarios tres calice* (nisi τὸ *calice* e glossa est, abundat enim certe, quemadmodum in Hard. LXX
Suetonii loco: calix ea vasis pars habenda, quem nos hodie ventrem *talentis.*
pag. 278. appellamus, quod Bayfius quoque vidit in libro de Vasculis.) *Potauit*
edit. Fro- *ex eo ante hos annos Consularis, ob amorem obroso eius margine, vt* Hard. *abroso;*
ben. 1541. *tamen iniuria illa pretium augeret: neque est hodie murrhini alte-* quod non
rius praestantior indicatura. Idem in reliquis generis eius (murrino- probo.
rum intellegimus) *quantum vorauerit, licet existimare ex multitudine,* al. *aestimare,*
quae tanta fuit, vt auferente liberis eius Nerone Domitio, theatrum quod est re-
peculiare trans Tiberim orcis (orcae videlicet per cellas et gradus ctius. Gron. et Hard.
theatri dispositae: in his, vt in repositoriis suis, murrina,) *exposita oc-* ἀντὶ τῶ *orcis,*
cuparent, quod a populo impleri canente se, dum Pompeiano praeludit, *hortis*, quod
etiam Neroni satis erat: qui vidit tunc annumerari vnius scyphi fra- ferendum
cta membra, (vt maiore capacitate et rari murrini) *quae in dolorem,* non est.
credo, saeculi, inuidiam que fortunae, tanquam Alexandri Magni al. *Poppeanis.*
corpus, in conditorio seruari, vt ostentarentur, placebat. (Fortunae vt inuidiam faceret, quae passa esset confringi poculum tale ac tantum, velut in Alexandri exuuiis, quod naturam talem tam breuis aeui fecisset.) *T. Petronius Consularis moriturus, inuidia Neronis*
principis, vt mensam eius exheredaret, trullam murrhinam trecentis Hard. CCC.
sestertiis emtam fregit. Sed Nero, vt par erat principem, vicit *talentis.*
omnes, trecentis sestertiis capidem vnam parando. Memoranda res, Veneta
tanti imperatorem patrem que patriae bibisse. Oriens murrhina mit- 1516.
tit: inueniuntur enim in pluribus locis, nec insignibus, maxime Par- CCCC. Hard. *talentis.*
thici regni: praecipue tamen in Carmania. Humorem putant sub terra calore densari. Amplitudine nusquam paruos excedunt abacos:

crassitudine raro quanta dictum est vasi potorio. Splendor his sine viribus, nitor que verius, quam splendor. Sed in pretio varietas colorum, subinde circumagentibus se maculis in purpuram candoremque, et tertium ex vtroque ignescentem, velut per transitum coloris purpura rubescente, aut lacte candescente. (Locus hic corruptus est. Sed multo tamen deterius, quod Harduinus substituit, *in purpura aut rubescente lacteo.*) *Sunt, qui maxime in iis laudent extremitates, et quosdam colorum repercussus, quales in caelesti arcu spectantur. His maculae pingues placent: translucere quidquam, aut pallere, vitium est: item sales verrucaeque, non eminentes, sed vt in corpore etiam plerumque sessiles. Aliqua et in odore commendatio est.* Haec Plinius. STATIVS, *Hic pocula magno Prima duci, myrrhas que graues, crystalla que portat Candidiore manu. crescit noua gratia Baccho.* IVVENALIS, *Grandia tolluntur crystallina: maxima rursus Myrrhina: deinde adamas notissimus.* atque IDEM, *Emturus pueros, argentum, murrhina, villas.* MARTIALIS, *Myrrhina signauit, seposuit que decem.* IDEM, *Plorat Eros, quoties maculosae pocula myrrhae Inspicit, aut pueros, nobiliusue citrum.* ac deinde, *Si te delectat numerata pecunia, vende Argentum, mensas, myrrhina, rura, domum.* et rursus, *Surrentina bibis: nec murrhina picta, nec aurum Sume: dabunt calices haec tibi vina suos.* denique in Apophoretis, Murrhina, *Si calidum potas, ardenti murrha Falerno Conuenit, et melior fit sapor inde mero.* SVETONIVS in Augusto, *Alexandria capta nihil sibi praeter vnum murrhinum calicem ex instrumento regio retinuit.* APPIANVS de bello Mithrid. super Pompeii victoria, Ἐν δὲ Ταλαύροις, ἥντινα πόλιν ὁ Μιθριδάτης εἶχε ταμίειον τῆς κατασκευῆς, δισχίλια μὲν ἐκπώματα λίθου τῆς ὀνυχίτιδος λεγομένης εὑρέθη χρυσοκόλλητα. (Falsus hic Gelenius, qui vertit, *ex Onyche gemma:* debebat, *ex Onyche lapide*, aut, *marmore*, qui et Onychitidis, et murrae nomen habet, qua emendatissimus est.) PAVSANIAS in Arcadicis, vbi de Stygis aqua, Ἄλλος μὲν γε καὶ κρύσαλλος, καὶ μοῤῥία, (rectissime, vt equidem puto, Salmasius censet legendum esse hic, καὶ μόῤῥα) καὶ ὅσα ἐσὶν ἀνθρώποις ἄλλα λίθου ποιούμενα, καὶ τῶν σκευῶν τὰ κεράμεα, τὰ μὲν ὑπὸ τῆς Στυγὸς τοῦ ὕδατος ῥήγνυται. ARRIANVS in Periplu, καὶ λιθίας ὑαλῆς πλείονα γένη, καὶ ἄλλης μοῤῥινῆς, τῆς γινομένης ἐν διοσπόλει. IDEM alio loco, excitante Salmasio, Ὀνυχίνη λιθία, καὶ μουῤῥίνη, καὶ σίνδονες Ἰνδικαί. atque in Epicteteis, Σὺ κρυςάλλινα, ἐγὼ τὰ

τȣ̃

f. dicta.

Veneta, ignescente.

Liber meus calamo scriptus in charta, sed probus, *mirrina*, bis. leg. sine dubio, *murrina*, extrito H. in Martiale quoque veteres libri, *myrrina* et *myrra*.

τὸ *calicem* fort. e glossa.

Li. III. Silua 4. Coma Earini, v. 57. f. n. 37.

Sat. VI, v. 156. f. n. 37.

Li. VIIII. ep. 59, al. 60.

Li. X. ep. 80.

Li. XI. ep. 71.

Li. XIII. ep. 157. al. 113.

L. XIIII. ep. 113. al. 111.

cap. 71. f. n. 37.

sec. edd. Stephanorum, p. 159

p. 251. f. n. 38.

p. 251. ex ed. Wechel. 1583. f. n. 38.

p. a, 1, b. sec. ed. Stukii Gen. 1573.

in Comm. p. 18. f. n. 39.

τȣ̃ ψευδομένȣ· σὺ μούῤῥινα, ἐγὼ τὰ τȣ̃ ἀποφάσκοντος. PAVLVS Iureconsultus, *De murrhinis et crystallinis dubitari potest, an debeant adnumerari supellectili, propter eximium vsum et pretium: sed et de his idem dicendum est.* IAVOLENVS, *Murrea autem vasa, et vitrea, quae ad vsum edendi, et bibendi caussa parata essent, in supellectili dicuntur esse.* VLPIANVS, *Murrina autem vasa in gemmis non esse, Cassius scribit.* IVLIVS CAPITOLINVS in vita M. Antonini, *Auctionem ornamentorum imperialium fecit, vendidit que aurea pocula, et crystallina, et myrrhina.* IDEM in vita Veri, *Donatos etiam calices singulis per singulas potiones, murrhinos et crystallinos Alexandrinos.* LAMPRIDIVS in Elagabali vita, *Onus ventris auro excepit: in myrrhinis et onychinis minxit.* APVLEIVS, *Aurum fulgurans, et succinum mire cauatum in lapides, vt bibas.* Non electri pocula, quod crediderant Demsterus et Stukius, ait; sed quia addit, in lapides, id a similitudine succini haud dubie murram designat: nisi mauelis hic quoque restituere, *cauatum in capides*, quemadmodum *capaces Heliadum crustas* Iuuenalis dixit, poetice, si quis malit, fortassis etiam pro *murrinis*, propter similitudinem coloris, nam electri frusta adeo magna et crassa inueniri, vt maiora pocula inde excauari possint, id opido rarum est, quantum scio, hodie, et olim, latentibus his oris, vbi inueniuntur succina, aliquanto rarius videtur fuisse. Sed *electrum*, ex auri argenti que metallis, *inter aureas vites* a Sidonio *viridans* descriptum, et capitibus columnarum datum a Claudiano, non erat miscendum cum electro resina, siue succino, quod fecit Demsterus in his locis producendis. Neglecto Isidori Hispalensis loco, quae mera et inscita Pliniani testimonii deprauatio est, ista SIDONIVS APOLLINARIS, *Postes chrysolithi fuluus diffulgurat ardor, Myrrhina sardonices, amethystus Iberus, iaspis Indus, chalcidicus Scythicus, beryllus, acathes, Attollunt duplices argenti cardine valuas.* In hac Ouidii imitatione τὸ *murrina* vnitatis numero cum Sardonyche est coniungendum, quae *murrina* vel *murrea* sic dicitur, quemadmodum *murreus onyx* apud Propertium. Namque coloribus fere murrae spectanda est Sardonyx. Haec adhuc ex emendatissimis, quantum licuit, exemplis enotauimus. Iam recentiorum testimonia, praeterquam Cardani et Scaligeri maioris, nominatim producere, cum longum esset, tum quoque, quia parum inest auctoritatis, et in re dissensus, inutile; postremo, quod monu-

Li. III. cap. 9. p. 269. ed. Hier. Wolfii 1595.
l. 3. §. 4. π. de supell. leg.
l. 11. π. eod.
l. 19, §. 19. π. de auro arg. mundo leg.
f. n. 40. Aldinae, *murrhina*, et *myrrina*, rectius.
pag. 43, A a, sec. ed. Casaub. Paris. 1603.
ibid. p. 53. D. cap. 5.
ib. p. 169. B. cap. 32.
Milesiarum L. II, p. 123 ed. Elmenhorst.
ad Rosin. L. V, cap. 30.
Ant. Conviu. Li. III. c. 12.
Orig. Li. XVI, cap. 12.
Carmine XI. Epithal. Ruric. et Iber. v. 20.

Taurellii, Ruffardi, Charondae exempla constanter, *murrinis*, quod et verum.

Demsterus obiter emendatus.

monumenta eorum in multorum sunt manibus, superuacaneum.

HIER. CARDANVS de Subtilitate Libro V.

Sunt autem myrrhina ea quae hodie vocantur Porcellanae, *dicente Plinio:* (leguntur verba Plinii, quae supra percensuimus) *Ergo quis non videt figulina haec esse*, (ex his quidem verbis, o bone, nemo videt eorum, qui Latine sciunt, Plinium que legunt cum cura) *et eius generis*, *quod vt dixi hodie Porcellanas solemus appellare: constant enim et hae ex succo quodam sub terra densato:* (non constant. Olim id falso de Sinicis creditum: hodie operis experimento, et Sinas adeuntium testimoniis, alia omnia sunt reperta. Aiunt, non esse succum, sed terram aut limi genus, quem non defossum densari, sed purgari, atque aquis elui macerari que oporteat. Ista quidem nostris hominibus, etsi ignorent artificii summam, quae paucorum conscientia tenetur, satis adprobata sunt et spectata) *et ex Oriente vehuntur.* (tanquam si parum intersit, inter Parthienem, aut Carmaniam, et Seres vltimos.) *At nostra pallidiora sunt*, (prae veterum videlicet, quae credit fuisse, porcelanis) *et odore carent, et quae ex his etiam translucent magis probantur, foliis que* (foliorum, et velut florum picturam, et inambulantium miras species, et draconum quosdam grillos, intellegit: aut emendatissima non vidit, sed vulgaria vasa, in quibus, praeter enormes frondium atque herbarum flexus, picturae barbaricae nihil inest. Ea res, lepidius scitius que a veteribus tractata, dicitur, *fogliatura antiquaria grotescha*) *ac imaginibus placent: nullum que purpurae vestigium, quae omnia videntur ab antiqua myrrhina* (parum Latine. debebat, *ab antiqua murra.* Murrina singulari numero non dicitur) *diffidere, verum temporum varietas, et opificium, tum vsus, hoc pepererunt. Nam pretium fecit copiam, dum multitudinem augere student, cum vero materia deesset nobilior, aliam supposuerunt: vnde excogitata pictura resarciendae vilitatis causa, ita honos ac synceritas vasis decessit. Aut enim vilior materia, aut non eadem, vel omnino impurior, aut non adeo elaborata, aut vasa ipsa ante tempus eruta*, (ex eo errore, quod putauerant, vasa formata sub terram denuo condi, et longo tempore sepulta teneri, antequam absolui in eis opus posset) *ob lucri cupiditatem, morae impatientibus. vtcunque res se habeat, et pretium* (quo pacto? sic diuersum: sic dimi-

pag. 119. sec. editionem primam Norib. ap. Petreium 1550. supra num. 41. ad 43.

diminutum?) *et locus* (adeo diſtante plaga?) *et materia, et modus quo fiunt, eadem eſſe docet haec myrrhinis. nec tamen minus eſt ſuperbum his coenare, quam auratis, atque ex argento vaſis.* Haec Cardanus, et poſtrema quidem recte. Nam que ad argentea atque inaurata vaſa pretium porcelanorum accedit: ad aurea non accedit. Verum, cum haec ſcripſiſſet editione operis prima, iſta, quae ſequuntur, deinde adiecit in repetita, quae audit, *ab ipſo auctore recognita atque perfecta*, poſt verba, *eadem eſſe docet haec myrrhinis. Nunc longo Indiae tractu*, inquit, *fiunt, maxime apud Chinam, hi olim Seres, vt alibi dictum eſt. Fieri dicuntur ex conchyliorum atque ouorum corticibus, ſepeliuntur que conſtanti fama* (ſed vtrumque tamen e rumoribus falſis) *in LXXX vel C. annos, quaſi haereditatum loco. Inde eruta obducuntur vitro ne combibant. Succi autem quibus cortices excipiuntur non ſatis noti ſunt. Pinguntur etiam antequam vitrum ſuperaddatur. Incertum eſt an excoquantur, ob nitorem ac duritiem. Maiora in pretio ſunt, ſed multum ab antiquis degenerant. Et quamuis ita ſit, non tamen minus eſt ſuperbum*, quae ſequuntur, vt ante expreſſa ſunt.

Lugduni ap. Rouill. 1559. octonis, p. 188, 189.

IVL. C. SCALIGER de Subtil. ad Card. Exercitatio XCII.

de Murrhinis, Porcellanis, Maiolicis.

pag. 327. ſec. edit. Wechel. 1601. ſup. a num. 44. ad 47.

De Myrrhinis ita ſentio: Ea fuiſſe, quae nunc dicuntur Porcellanae. Haec cum tu quoque ſcriberes: duae tamen obiectiones extorquere tibi hanc ſententiam viſae ſunt. Primum, quod non doces vel materiae, vel operis rationem: deinde, quod trepidas. Quippe confugis ad excuſationes quaſdam, minus ſane dignas tanto viro. Nam cum Plinii ſeculum viliora putaret ea, quae translucerent: viſa ſunt noſtra tibi, quia translucent, ex materia eſſe viliore, ac fortaſſe ſuppoſititia. Itemque artem propterea defeciſſe. Mihi vero longe alia ſententia eſt. Multo ſane hoc ipſo, quod tu damnas, excellentiora, atque commendatiora. Quis enim non plurimi fecerit eiuſmodi operam: quae ſuapte natura non translucentem materiam, ex opaca pellucidam fecerit? (Iſtud enimuero parum firmum eſt. Poteſt id, quod non translucet, pellucido eſſe perfectius, et corrumpi, dum pellucidum redditur. Deinde multa ſunt, quae radios lucis non transmittant

spissa: transluceant eadem, si extenuentur. Vt adeo nullo negotio aliqua ex opacis pellucida fiant.) *Quare pugnemus, Cardane, pro seculi nostri artibus, atque ingeniis, quorum industria tum materia purior effecta sit, tum ostendat artificem praestantiorem. Quemadmodum vero fiant, atque vnde importentur, si scripsero, spero iis, qui haec ignorant, atque ociosi fruuntur alienis laboribus, non ingratam rem facturum: praesertim cum historia haec haud vulgaris sit, et cui multa miracula attribuantur. Principio picturae, quae vix apparent, si luci obieceris, emergent visui luculenter: aciem spatia reliqua transmittent.* (Hoc quid sit, experiundo non facile intellegas.) *Deinde quantum iuscula intus occuparint, tantum calefieri: vicinas partes non calefieri. Haec scimus nos, cum haud paucas extare comperissemus adhuc inter miseras reliquias veteris ruinae Scaligerorum. Quare tertiam quoque vim experti sumus vnius fragmenta nacti, ex duobus collisis frustulis saepe ignem excussimus nostra manu. Quartum addemus ex superstitione atque impostura mercatorum. Negant veneno posse infici: disrumpi enim. Fiunt hunc ad modum. Ouorum putamina, et marinorum conchas vmbilicorum (Porcellanae species horum sunt, vnde et nomen) in tenuissimum redigunt pollinem, quem aqua subactum vasorum facie informant: subtusque terram condunt. Centesimo anno pro perfecto effodiunt, ac venale opus habent. Quod eorum vitae superest, haeredi testamento transcribunt. Quotannis conficiunt, atque infodiunt, referuntque tempora in commentarios, ex quibus eruunt matura. Ex prouincia China optima aduehuntur. Alii putant: non vasa, sed materiae condi massam. Qua extracta confiant vasa. Horum precia cum et opes, et patientiam, postremo etiam fidem excederent, nouo ingenio tam belle imitati sunt in insulis Maioricis: vt saepe difficile iudicatu sit, vtra vera, vtraue adulterina. Profecto nec forma, nec specie, nec nitore cedunt: aliquando etiam superant elegantia. In Italia nunc audio tam perfecta venire, vt cuiuis Cassitero, quod ibi vocatur Peltrum, anteferantur.* (Non est haec magna Fauentinorum laus, si stanno praeferebantur. Fuit ista superiorum in Italia saeculorum simplicitas, vt stannea quoque laudarent. Ille munditiarum intellegens praedicator Bocatius dat suis conuiuis *i bicchieri*, nisi fallor, *di peltro*: dicit enim subinde, *che pareano d'ariento.*) *Ea corrupta vna littera, a Balearibus, vbi dicuntur excellentissima fieri, Maiolica nominantur.*

ACVTISS. talia nescio a quo ad oram libri insulse inculcata.

Balearides dicturus erat, quarum vna Maior, siue Maiorica, non omnes hoc nomine dicuntur.

ANNO-

ANNOTATIO SEROTINA SVPER NIC. GVIBERTO

Si candide nobiſcum egit, quod puto, Gretſerus: eſt ſcilicet Guiberto fatale, ſero venire. Nam tandem, cum iſta ſuperiora abſoluta eſſent, ac paene publicata, adfertur ad me exemplum libri adhuc deſiderati, repertum in hac vrbe, in bibliotheca munde docteque inſtructa viri ampliſſimi, ac merito ſuo celebrati, tum collegae amiciſſimi. Quo grato officio vt, quemadmodum poſſumus, perfruamur: cupide perlectum ſine cunctatione libellum, vt inſcriptus eſt, vt conceptus, velut ſententiae in rem noſtram ſucco expreſſo, tibi, quicunque haec legis, dabo. Talis autem eius titulus, quem, nihil emendando, vt etiam alia, cum puluiſculo transferamus. *Aſſertio de Murrhinis, ſiue de iis quae murrhino nomine exprimuntur, aduerſus quoſdam, de iis minus recte diſſerentes. Opuſculum ad multiplicem rerum cognitionem profuturum: in quo multa noua memorabilia cognitu iucunda, ſimul et cuiuſuis facultatis ſtudioſis vtilia, de Myrrha, potionibus, vnguentis et vaſis murrhinis, potione vini myrrhati, nec non et aceti Chriſto Saluatori noſtro porrecta, ac aliis non paucis reconditis adferuntur: plurium errores deteguntur, multa ſcriptorum loca, vel corrupta reſtituuntur, vel obſcura declarantur. Nicolao Guiberto Lotharingo, Doctore medico, Auctore. Francofurti apud heredes Andreae Wecheli, Claudium Marnium, et Ioannem Aubrium. anno MDXCVII.* octonis chartae minoris, numeris paginarum excurrentibus ad 91. Videmus, non fuiſſe peccatum in eo, quod ſupra num. 76. e bibliotheca Telleriana notatum fuerat: ſed iudicio iſtud expreſſum eſſe. Namque Murrina Guibertus in tituli inſcriptione inſolentius dixit, non vaſa modo, ſed quaecunque tracto a myrrha, vel a myro, Graecis vocabulis, myrrhata, aut myrrinae potiones; vel a murra, Latino verbo, murrina aut murrea dicerentur. Vt natam ex opinione Mercati copioſam Baronii ſuper his rebus diſputationem funditus euerteret, non de vaſis modo, ſed de eis omnibus, quae ille myrrhae nomine tetigerat, dicendum ſibi eſſe, quemadmodum Gretſerus quoque, putauit. Hic ideo libellus non tam ſcriptus eſt contra Cardanum et Scaligeros, quod ſuſpicatus haud iniuria fueram ſupra num. 77, quam aduerſus Baronium et Mercatum; nec

tam de murrinis, quam de myrrha, et quae ab hoc vnguento dicta sunt, aut putantur. Isto igitur libro inspecto demum constitit, me esse primum, qui hoc de murrinis vasis argumentum sigillatim tractem. Non contemnenda viri eruditio, atque vsus his in rebus, et in lapidibus cognoscendis, multus: sed animus fere et stilus in asserenda sententia concitatior in aduersarios distringitur, quam quaestionis in ancipiti obscurae simplicitas postulabat. Scribendi quoque vt maiorem adhibuisset curam in aliquot huius libelli locis, optares. Occasionem argumenti tractandi memorat in dedicatoria epistola ad Ioh. Porcelletum a Malliana, quae scripta est Tulli in Lotharingia, a. 1597. Exhibitum ei Romae ante annos VIIII Baronii opus fuerat: in quo errores quosdam super myrrha, myrrhata potione, et vasis murrinis, cum animaduertisset, et sermonibus tulisset, enotatos in commentariolo transmisit Baronio roganti: atque haec ipsa, cum postremo Annalium tomo confutanda sibi sumsisset ille, hac Assertione Guibertus vindicare aggressus est. Inuidiam ipsi fecerat rerum sacrarum scriptor, quod Ge. Agricolae sententiam defendisset: tanquam si esset iniurium, transalpinum hominem, transalpini sententiam secutum, videre aliquid prae Italis velle. Non haec frustra annotamus. Nam sane illa saeculi illius praeclari lumina maligna vbique Agricolae deprehenduntur, per quem ferme vnum illustria illis cum terrae viscera, tum pondera et mensurae veterum, patuerunt. Odi ego vero ista nationum studia. Doctrinae ciues ac sapientiae communis, non siluarum et montium, studiosi omnes sumus. Municeps esto noster, quisquis sapit. Post dedicatoriam epistolam publicantur Guiberti ad Frontonem Ducaeum, et Ducaei ad Guibertum, super hoc libello, quem auctor perlegendum ipsi ante editionem miserat, litterae binae atque epigrammata duo aliorum tantum non inepta. Sequuntur capita libri, quorum titulos enotatos dabimus. Cap. I. *Myrrham veterum esse lachrymam sui generis a Beniuino longe diuersam, quam recentiores myrrham vocant, ab ea veterum non differre.* *Beniuinum* vocat, quod et *Benzui*, et *Benzoinum*, et *Asa dulcis*, vulgo. Cap. II. pag. n. 10. *De variis potionum generibus, quae myrrhina appellatione exprimuntur, nullum vini vel potionis genus apud priscos, siue Graecos, siue Romanos, extitisse, praesertim ad mensas translatum, quod a myrrha arboris lachryma appellaretur.* Myrrhinam, siue myrinam potionem, et myrrhatum vinum, in

in vniuerſum potius, vt medicata, et vnguentis mixta, intellegi debere cenſet, quam ſigillatim ea, quae myrrha arboris lacryma condita eſſent. Cap. III, p. 24. *De vino myrrhato Chriſto Saluatori noſtro exhibito ſecundum Marcum, an ab illo felle mixto, de quo Matthaeus, differat nec ne. Quid tandem et quale fuerit, vbi, quando, quomodo, et a quibus, et qua de cauſa fuerit porrectum, contra quam ſcripſerit Baronius, ac ſenſerint plerique alii piiſſimi viri.* Cap. IIII. p. 41. *De Aceto domino noſtro Ieſu Chriſto, in cruce pendenti oblato ſecundum Euangeliſtas, et quomodo, a quibus, et qua de cauſa fuerit illi porrectum.* Cap. V, p. 51. *De vaſis murrhinis, quid, vnde, quo pacto, et quando Romam fuerint primum aducta.* Repetit Plinii verba: deinde, *Ex illis*, inquit, *clare apparet, vaſa murrhina ex materia conſtitiſſe lapidea, pretioſa, ac eiuſdem fere generis et naturae cum cryſtallo, et non ſecus quam cryſtallina vaſa ſculptura et coelatura efformari*, cetera. Cap. VI, p. 53. *Refutatio opinionis eorum, qui Plinii verbis non bene perceptis, vel intellectis, vaſa murrhina fictilia pronunciarunt.* Haec in Cardanum et Scaligerum directa partim cum eis conſentiunt, quae Gretſerus inuenit: partim ex vſu, quem in rebus talibus habuit Guibertus, depromta, neque contemnenda ſunt. Ad Propertii verſiculum de Murreis e focis Parthorum, non vera ait intellegi murrina, ſed *fictilia verorumque aemula, conflata, ex verſicolore materia vitrea, et in fornacibus vitriariorum cocta.* Non haec modo cum noſtris cogitatis plane conſentiunt: verum ea quoque, quae ſuper maioricis memoranda, et hoc loco repetenda, ibidem tradidit. *Noſtro ſeculo*, inquit, *ob eamdem* (pretii maioris) *cauſam, noua ratione artifices imitari coeperunt Porcellanea vaſa, in Valentinis et maioricis fornacibus figulinis primum, vnde maiorica ab Italis denominata, deinde in Fauentinis, et aliis plurimis totius orbis, vaſis ex argilla opere figulino elaboratis, incruſtatione quadam albiſſima intinctis* (de ea nos ſupra n.) 132. nonnihil dubitanter edideramus) *deinde in fornacem poſitis, quoad nitorem et laeuorem vitri acciperent. Quae quidem vaſa porcellanea vera ex Chinae forte Sinarum regionibus ad nos aducta, Magni Hetruriae duces huiuſmodi artificiis plurimum delectati, ex eorum domeſtica traditione, nobili quodam artificio ſibi peculiariter reſeruato, mihi tamen non incognito, tam belle norunt aemulari, vt vix aliquod diſcrimen deprehendi poſſit, et a paucis iudicari vtra vera, vtraue fictitia et aemula: nec enim forma, nec ſpe-*

 cie,

cie, *nec materia*, *nec incrustatione*, *nec picturis*, *nec laeuore*, *nec nitore*, *denique nec elegantia cedunt*. Atque ista quidem peculiaria consentiunt aliquo pacto cum his, quae supra num. 130. notauimus in Scaligeri maioris verbis. Sunt autem talia, vt aut Guibertus in his Hetruscis fictilibus describendis Magno Hetruriae duci, ad quem librum de his rebus perscripserat, gratificatus videatur: aut vt oporteat nos, in re adeo vetere et obscura, eorum operis Hetrusci vasorum in museis reliquias reperisse nullas. Quae enim hodie Maioricorum et Fauentinorum nomine dantur, ea non habent cum Sinicis similitudinem indiscretam. Ibidem vana esse monstrat, quae Scaliger de porcelanorum opere tradiderat. Cap. VII, p. 60. *Refutatio iudicii Hieronymi Cardani, ac Iulii Caesaris Scaligeri, et aliorum, qui vasa murrhina antiquorum, esse vasa, nostro saeculo porcellanea vocata, pronunciarunt*. Ibi inter alia secundum Scaligerum etiam Hier. Mercurialem, libro de venenis, hac in re fatetur errasse. De odore murrinorum, si verus infuerit, dubitat. Cap. VIII, pag. 62. *Confutatur denuo illustrissimi Baronii iudicium, asserentis vasa murrhina olim fuisse ex myrrha sua, hoc est ex nostro Beniuino confecta.* In fine huius capitis habetur singularis etymologia murrinorum, quae subnotanda est ad ea, quae memorantur supra num. 94. *Fieri potest*, inquit, *quod ipsi Romani* (sic ille: non, *vt Romani*. et hoc pacto *τὸ quod* subinde collocauit: vtut alioqui non emendate satis operae Aubrii libellum eum exscripserint) *murrhinorum vasorum appellationem deduxerint ab ipso murrhino vino, vt dictum est, pretiosissimo. ob eam fortasse causam, quod in dictis vasis murrhinis pretiosissimis, tale vinum pretiosissimum potissimum bibi soleret*. Cap. IX, p. 67. *Confutatio opinionis Petri Bellonii asserentis, murrhina vasa ex concharum genere fuisse confecta*. Cap. X, p. 68. *Quid reuera fuerit materia, ex qua vasa murrhina antiquitus elaborata fuerint*. Ibi Ge. Agricolam laudat, *virum incomparabilis doctrinae ac fossilium perscrutatorem*: dein concludit, murrina olim facta e sardonyche gemma, seu potius ex corneola alba, zonis versicoloribus varia: onychina, e Calcedonio nostrorum hominum, *Cassidoine* Gallis; quod achatae fere genus est, paullo, quam reliqua, purius: atque illum veteribus onychitidis nomine, et onychis interdum, et lapidis onychini, cognitum fuisse. In ea classe censet etiam onychem, mea sententia, veram, quae et *Gemmahuia*, et *Cameo*: mox achatem illum, in Germaniae ad

Rhe-

Rhenum aliisque locis reperiendum, lacteo seri vel aceti colore puriorem, quem Calcedonium vulgo vocant, quemadmodum alium quoque achatem purum, vniusque coloris, ex oriente petendum, duriorem nostro: deinde onycha marmor. Qua de re quidem puto iure Guibertum reprehensum esse a Salmasio, in Exercitationibus Plinianis, quanquam minore inuidia debebat in errore non magno, quod supra diximus, num. 82: neque video, qua re sit deceptus vir adeo peritus, vt misceret vno sub nomine lapidum genera tria, duritiae modo, per quam maxime distare lapides auctoritate, pretio et vocabulis aequum est, trifariam diuersa. Scilicet onyx gemma veterum, et *Cameo*, et achates purissimus, ex oriente petendus, qui Calcedonius vulgo dicitur, onychis fere illius pars, non cedunt, quantum scio, nisi adamanti: noster Calcedonius nothus, siue achates Rhenanus et Boiemicus, quemadmodum alii silices, excauari non magno negotio Smiridi lapide, ni fallor, potest, et est eius apud nos minime rarus in vasculis, in paruis acerris, nugis in aliis, vsus. Iam onyx marmor, onychitis, alabastrorum lapides omnes, non modo silicum genere vniuerso longe, verum etiam marmoribus multis, molliora, celte ac harenis, cotibusque quibusuis, quantum in opere non perspecto coniicere possum, ex facili tractantur. Ex eadem opinione onychitidem gemmam facit: quae est potius lapis: neque erat reprehendendus Agricola, quod alabastritae propiorem eam haberet, quam gemmis. De reliquis supra, cum Gretseri sententiam consideraremus et Salmasii, velut aliud agendo, quod satis sit, dictum est et praeiudicatum. Cap. XI, p. 84. *Artem scalpendi et caelandi in gemmis et lapidibus etiam durioribus, et ex iis cauandi vasa et pocula non esse recens inuentum, sed longe antiquius quam existimauerit Illustrissimus Baronius.* Caelandi vocabulum in gemmario et lapidum sculpendorum opere locum non habere, Salmasius animaduertit: quod prope verum esse puto. Ceterum ea hic recte et ordine adstruit Guibertus, de quibus nemo dubitare hodie, nisi antiquitatis omnis inconsultus, potest. Vt pauca his annotatis addamus etiam de auctore, quae ipse vitae suae hoc libello, tanquam tabula suspensa, prodidit: Nic. Guibertus, artem medicam professus, in Italia diu multumque versatus, Alexandri Farnesii Purpurati in officio amicus fuerat. Rerum praeterea veterum et historiae naturalis studiosus, artiumque non imperitus, domicilium, cum ea scriberet, habuit Tul-

li Leucorum, natus in Lotharingia diui Nicolai Fano. Libros a se affectos, et partim perscriptos, sed, quantum scio, nondum editos, memorat his titulis. *Flagellum astrologorum:* (pag.oc. 3, b.) *de Lapidibus:* (p.78.) de fictilibus, aut de porcelanis, in hoc enim, quo vocabulo librum inscripserit, non edit. (p. 56) Et haec de Guiberto, sero, sed non inutiliter fortassis. Si qua in superioribus per festinationem operarum peccata extiterint, veluti initio, v. 5. in *supellectilis* τὸ p male duplicatum: pag. 4, versu vltimo, *nostram:* pag. 9, v. 10 *murrea*, pro, *murrina:* pag. 10, v. 30, ὑαλῆς, pro, ὑαλῇ, demto sigmate: mox in *onychitidis* vocabulo bis aut ter, veluti pag. 21, pag. 25, a scripto aberratum: alia talia, et fortassis leuiora, quae oculorum subinde aciem effugiunt et curae modum: ignosces facile, et corriges. Iterum vale.



* * *

QVAESTIONIS PROPOSITAE

DEFENSORI SAXIO

S. D

CHRISTIVS.

Saepe ego dicere, vt meministi, soleo, de caussis pereuntium non litterarum modo, verum aliarum quoque artium bonarum, honestaeque et verae rationis omnis, qua regi mores ac vita nostrorum hominum debebant. Non id fatale esse, neque quodam sidere aut vicibus rerum fieri, quando, vt belle ait Valerius, poscunt sua tempora Graii: *sed culpa eorum, quibus instituenda moderandaque vulgo permittitur adolescentia nouorum ciuium: et quia, cum aliis multis rebus, via omnis et ratio periit, qua in educendis ad virtutem liberis veteres vtebantur. Sat scio, eius rei nonnihil fuisse sapienter animaduersum, et cum sacris restitutum integrioribus, ante ducentos annos: sed superiore maxime saeculo denuo interisse, et vix aliquem non abiiciendae educationis colorem reliquum fecisse, in quibusdam finitimis populis, in paucis Germaniae vrbibus, et tenuissimum quidem in illis, quae quandam artium vniuersitatem magnis apertis litterarum ludis profitentur, atque quas ideo oportebat eius rei curam habere singularem. Id non eo pertinere dico, vt multos litteras multas rarasque in his ludis promiscue discere negemus: discunt enim sane, et acutiores inde atque ad nocendum paratiores recedunt: sed vt primam pueritiae institutionem, et bonam mentem, et mores vitae necessarios, neque disci ibi satis, neque doceri, demonstremus. Quam vanae autem, quam nihili sunt litterae, nisi bona eis mens et mores instruuntur? Etiam atque etiam vide, o bone, vox est Epicteti mei, (qui enim non meum dicam, quem toties praelectionibus meis enarraui) quale in vas haec omnia infundas! nisi enim purum sit vas,* quodcunque infuderis acescet. *Nimirum facillimum est, pleniorem aliquem argutiarum, ex variis artibus quae depromuntur,*



muntur, dimittere: sed meliorem e disciplina virum; istud vero longe difficillimum. Non hoc temere, ex quadam velut sensus proprii abundantia, et morbo, et φιλονεικία, tanquam nonnullus controuersiae color, declamatur: sed longo vsu, ac meditatione, et historiarum omnium ex fide deprehensum, exemplis declarari multis potest: periisse rationem doctrinae. Id si est verum, vt est sane, ego ne experientis viri officium facio, dum tot saepe aliis auctor sum, tibi que aliquoties, praestantissime Saxi, fui, vt in re perdita, ac paene desperata, operam insumeres non profuturam? Scilicet, quae honesta sunt et recta, etiamsi sint inutilia tibi, incognita, spreta, ingrata illis, quibus facias: tamen ea facere virum bonum oportet. Si praeclare res gerendo conscientiam dei hominum que omnium fugeremus: si nulla esset merces speranda saltem ab eo, qui animos mortalium vnus perspicit: tamen illa faceremus. Quamobrem recte atque ordine tu quidem, mi Saxi, ingenia non contemnenda litteris bonis que artibus vt instituceres, adhuc dedisti operam: ea que in re sub oculis meis versatus: auctoritatem secutus: doctrinam amplexus: et iam nunc ad aliud huius honestae professionis munus te conduci atque euocari passus es. Honeste item, vt ante abitum aliquam velut publicam tirocinii tui tot annis tolerati fidem, in hac florentissima academia, relinqueres, ad publicum cum eruditis colloquium, priuatis toties tentatus, propediem accedes, et hanc nobilissimam super re difficili quaestionem, delectus a me defensor, vindicabis. Tot e sermonibus super omni doctrina meis, quam parcus sim laudator et infrequens, nosti: atque ideo non aegre feres, si paucis verbis hanc tibi mentem, hoc futurum munus, gratulor, diuini que numinis prouidentiam exoro, velit, iubeat, haec bona tibi, et quae ex his nascuntur, esse perpetua. Vale. Lipsiae d. I. Maii a C. N. cIↄ Iↄcc XXXXIII.



ad pag.n.34.

COLVM NIVARIVM

quod constat Sinu, cum Cyatho imposito. Sinus, sine basi, sextantalis: Cyathus quadrantem altus cum semuncia. Vterque cum basi atque insertione semissem implet. Extrema partium notata sunt elementis d. et e. In cyathi fundo nucis pineae species scalpta est, ad coli vsum.

VRCEOLVS MINISTRATORIVS

altus decuncem pedis antiqui: basi sextantali; calice, quem et ventrem appellant, quadrantis cum semuncia: collo ad operculum rursus sextantali, si addas sextulas fere IIII: operculo vnciae I et sextularum admodum V. Confinia partium litterulis a. b. c. signauimus.



Chr. delin. Schönemann. incideb.